This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lf
18
75

Lf 18.75

Harvard College Library

FROM

The University of Jena

5 Feb. 1889

QUAESTIONES

DE

IULI FRONTINI STRATEGEMATON LIBRIS

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM IENENSIUN ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AD

UENIAM DOCENDI RITE IMPETRANDAM

PUBLICE DEFENDET

GOTTHOLDUS GUNDERMANN

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEUBNERI

MDCCCLXXXVIII

£ 18.75

HARVARD COLLEGE
FEB 5 1889
LIBRARY

University of Iowa.

COMMENTATIO EX SUPPLEMENTIS ANNALIUM PHILOLOGICORUM SEORSUM EXPRESSA.

PAGINARUM NUMERI SUNT SUPPLEMENTI SEXTI DECIMI.

Strategemata a Frontino collecta, cum sit haud exigua pars eorum hausta ex libris scriptorum nunc mutilis aut deperditis, non semel exoptatissimam lucem afferre constat illustrandis eis rebus, quarum memoria iniquitate temporum paene obruta est. Atque haec testimonia quamuis uiri docti haudquaquam neglexerint editoresque huius operis quamuis exstiterint satis multi[1]), omnes tamen auctoris uerba a mendorum sordibus purgare satis habuerunt: id quod difficilius est multoque grauius, originem exemplorum perpendere, dispositionem explorare, condicionem uniuersam describere nemo susceperat. Primus rem adgressus Curtius Wachsmuth[2]) ut tres libros priores a suspicione[3]) uindicauit, ita quartum librum non a Frontino scriptum prioribusque multa inserta esse exempla aliena acutissime perspexit atque planissime demonstrauit. Idem nouis allatis argumentis confirmauit Eduardus Woelfflin[4]), cum, qua est subtilitate, compages totius operis perscrutatus, inter exempla genuina et aliena quae intercederent discrimina, egregie doceret. Horum igitur studiis uel maxime debemus, quod strategematon libros oculis nunc legimus tamquam acrioribus. Sed editionem quae nuperrime prodiit cum curarem facere non potui, quin quibusdam in rebus ab illorum iudicio dissentirem: quod cur fecerim quaeque res retractandae mihi uisae sint, his institutis quaestionibus exponam.

---

1) cf. index editionum in ed. Bipontina (1788) p. XLIX—LXIII, quibus accedunt in primis editio Oudendorpiana altera (1779), Wiegmanniana (1798), Dederichiana (1855).

2) Rhein. Museum XV (1860) 574—583.

3) cf. H. Koechly und W. Ruestow, Gesch. des griech. Kriegswesens p. XVIII. Griech. Kriegsschriftsteller II 98—99. G. Bernhardy, R. L. G.[5] 905.

4) Hermes IX (1875) 72—92.

Caput I.

De temporibus strategematon librorum.

Strategematon libros compositos esse constat imperante Domitiano. Nam quattuor strategemata, quae ab ipso imperatore adhibita traduntur (1, 1, 8. 1, 3, 10. 2, 3, 23. 2, 11, 7 — de exemplo autem 4, 3, 14 infra p. 321 agetur), cum ille non Diuus (cf. 2, 1, 17 *Diuus Augustus Vespasianus*), sed *imperator Caesar Domitianus Augustus Germanicus* appelletur, uiuo Domitiano conscripta sunt. Neque tamen ante annum 83 p. Chr. auctor ea colligere potuit, quia in bello contra Germanos eo anno gesto[1]) imperator eis usus est. Confecti igitur strategematon libri sunt inter annos 84 et 96 p. Chr.

Ante bellum Dacicum hos libros editos esse propterea coniecit Polenus[2]), quod Germanico quidem bello adhibita strategemata quattuor referuntur, Dacici uero belli ne mentio quidem fit. Cui argumento caue fidem habeas. Nam omitto, quam incerta sint tempora belli Dacici, cum id uideatur iam ante bellum Germanicum ortum esse.[3]) Neque id moneo, quod, cum bellum Dacicum haud ita magnae Romanis gloriae esset, strategemata contra Dacos non tam uictos quam uictores adhibita auctor narrare fortasse noluit. Sed ne ea quidem strategemata, quae ipse bello in Britannia paucis annis ante bellum Germanicum gesto adhibuisse putandus est (cf. Tac. Agr. 17 *sustinuitque molem Iulius Frontinus, uir magnus, quantum licebat, ualidamque et pugnacem Silurum gentem armis subegit, super uirtutem hostium locorum quoque difficultates eluctatus*) siue modestia siue metu inuidiae commotus protulit: coniectura enim Dederichii[4]) 1, 5, 26 *Silures* pro *Ligures* scribentis fide omnino caret. Itaque Frontinum nescio qua ratione inductum, quae bello Dacico consilia probata essent, reliquisse eodem iure contendes, quo ante id scripsisse eum Polenus coniecit, neque argumentum inde sumere licet.

Immo post bellum Dacicum collecta esse strategemata concludi posse mihi uidetur ex exemplo 2, 11, 7. Hoc cum exemplis 1, 1, 8. 1, 3, 10. 2, 3, 23, quae ad idem bellum pertinent Germanicum, si

1) cf. Eckhel VI 378. 397. Mommsen R. G. V 136.
2) in Frontini uita ab eo contexta, cap. XII. — cf. Hermes III 45.
3) Mommsen R. G. V 200.
4) Zeitschrift für Alterthumswissenschaft VI (1839) 837.

comparabis, mirabere sane, quod in eo solo, cum sit illis longius a principio operis remotum, disertis uerbis *eo bello quo uictis hostibus cognomen Germanici meruit,* quando res acciderit, praedicatur. Nullo consilio Frontinus, qua est breuitate ac subtilitate, ita non dixit. Laudes imperatoris eum celebrasse, cum in ipso bello iustitiae famam paratam esse adiceret, quo magis eius uirtutes et bellicae et domesticae elucerent, etsi non iniusta suspicio est, nihilo minus tamen uerbis *eo bello quo* insigniter distingui uidetur illud bellum ab aliis postea gestis. Quae, si paulo post confectum bellum Germanicum auctor exemplum 2, 11, 7 scripsisset, ob recentem earum rerum memoriam ita poni non oportuit: optime uero ea conueniunt, si interiectis nonnullis annis, gestis etiam aliis bellis, scripta esse putantur. Ac nescio an dicta sint eo consilio, ut illud bellum opponeretur alteri bello Germanico, quod mouit L. Antonius (cf. Suet. Dom. 6 *bellum ciuile motum a L. Antonio, superioris Germaniae praeside, confecit absens felicitate mira, cum ipsa dimicationis hora resolutus repente Rhenus transituras ad Antonium copias barbarorum inhibuisset*). Huic uictoriae facili, quam de militibus seditiosis absens imperator reportauit, si bellum molestum opponitur, quod contra hostes ipse confecerat, bene explicantur uerba *eo bello quo uictis hostibus cognomen Germanici meruit*. Quod si uerum est, cum L. Antonius uictus sit anno 88 p. Chr.[1]), Frontinus post eum annum, inter annos igitur 88 et 96 p. Chr., strategemata collegit.

Hac cum sententia, qua strategematon libros non tam initio quam sub finem imperii Domitiani compositos censeo, non discrepat, quod Martialis (10, 58) extremis annis imperii Domitiani Frontinum testatur litterarum studiis deditum fuisse; nec magis, quod auctor ante strategemata (praef. I p. 2, 20: *nam cum hoc opus, sicut cetera, usus potius aliorum . . . causa adgressus sim*) alia iam se opera edidisse dicit, inter quae opus de re militari (cf. strat. praef. I p. 1, 4 sq.) perditum, fortasse etiam opus gromaticum[2]) nunc mutilum numeranda sunt.

Iam de quarto qui fertur libro quaestio exsistit. Eum non ab eodem auctore conscriptum esse, quamuis nomine Iuli Frontini pariter ac libri priores inscriptus et in principio et in fine sit illisque fuerit iam in omnium codicum archetypo[3]) adiunctus, Curtius Wachsmuth[4])

---

1) cf. Mommsen R. G. V 137.

2) cf. Die Schriften der röm. Feldmesser herausgeg. von F. Blume, K. Lachmann und A. Rudorff I 54, 11: *praestantissimus postea Domitianus ad hoc beneficium procurrit et uno edicto totius Italiae metum liberauit.*

3) Quo saeculo archetypus scriptus fuerit, parum constat: certe superior saeculo nono fuit, cum codex Gothanus sit nono saeculo exaratus (cf. editionis praef. § 3); etiam Paulus diaconus in codice, quem adhibuit, quartum librum legit (cf. l. l. § 7).

4) Rhein. Mus. XV (1860) 574–583.

atque Eduardus Woelfflin[1]) ita demonstrauerunt, ut aliter qui sentiret nihil sentiret. Sed haberi Frontinus studebat is, qui quartum librum composuit, cum haec praefaretur: *Multa lectione conquisitis strategematibus . . . ut promissum trium librorum inplerem, si modo inpleui, hoc exhibebo ea, quae parum apte discriptioni priorum . . . subici uidebantur.*

Exempla quarti libri cum strategica potius quam strategemata essent, idem praefationem primi libri auxit, ut lectorem tamquam praemoneret deciperetque facilius. Nam luculentissime Curtius Wachsmuth[2]) ostendit Pseudofrontini, non Frontini esse illud (praef. lib. I p. 2, 24—3, 7): *Si qui erunt, quibus . . . . exempla posuimus.* Ubi capita libri quarti suspicor praenuntiata esse his uerbis: *namque omnia, quae a duce prouide, utiliter* (= 4, 1 *de disciplina* 4, 2 *de effectu disciplinae*), *magnifice* (= 4, 2 *de continentia* 4, 4 *de iustitia*), *constanter fiunt* (= 4, 5 *de constantia* 4, 6 *de affectu et moderatione*). Pseudofrontini etiam uerba esse eiusdem praefationis (p. 2, 13—23) *Huic labori non iniuste ueniam paciscar . . . credam* Woelfflinus[3]) iniuria contendit. Namque optime ea conueniunt ad modestiam et sollicitudinem Frontini (cf. de aqu. praef. *Cum. . . . me seu naturalis sollicitudo seu fides sedula non ad diligentiam modo uerum ad amorem quoque commissae rei instigent . .*). Atque uerba praefationis strategematon (p. 2, 20—23): *nam cum hoc opus, sicut cetera, usus potius aliorum quam meae commendationis causa adgressus sim, adiuuari me ab his qui aliquid illi adstruent, non argui credam* si comparabis cum illis praef. de aqu.: *in aliis autem libris, quos post experimenta et usum composui, succedentium res acta est. huius commentarii pertinebit fortassis et ad successorem utilitas, set cum inter initia administrationis meae scriptus sit, in primis ad nostram institutionem regulamque proficiet. ac ne quid ad totius rei pertinens notitiam praetermisisse uidear, nomina primum aquarum . . . ponam,* utramque praefationem ab eodem auctore scriptam esse facile concedes.

In aliena parte praefationis libri primi forma legitur στρατηγηματικά, inuentum nullo dubio librariorum: quod monstrum nec apud Graecos nec apud Romanos umquam in usu fuit.[4]) Corrigendum ibi esse στρατηγικῶν et στρατηγικὰ apparet ex praefatione libri quarti: *et erant exempla potius strategicon quam strategemata.* Utroque loco comparato nescio an quartus liber proprie inscriptus fuerit *Strategicon,* quod librarius fortasse studio aequandi correxerit *Strategi*$\overset{emat}{\underset{\cdot\cdot}{c}}$*on:* unde mox alii correctione male intellecta finxerunt *Strategematicon,* quod quidem codices perperam tradunt ut in

1) Hermes IX (1876) 72—92.
2) Rhein. Mus. XV 580 sq.
3) Hermes IX 89.
4) cf. Val. Max. 7, 4 et Polyaeni prooemia librorum.

titulo libri quarti ita in praef. I (p. 1, 8. 2, 25. 3, 2): rectam formam *strategicon* libri[1]) seruant p. 115, 8 et *strategematon* p. 1, 2. 2, 25. 3, 2. 33, 24. 38, 2. 88, 2. 6. 115, 9. 143, 17.

Frontini igitur partes agere quin uoluerit auctor libri quarti, non dubium est: quod tamen fecit studiosius quam callidius. Nam, ut recte monuit Curtius Wachsmuth (l. l. p. 577), in praefatione libri quarti cum scriberet *in qua et ipse ordinem per species seruare conabor,* iam oblitus uerborum *ut promissum trium librorum inplerem, si modo inpleui* Frontino ipse sese opposuit: aliter certe atque „ego quoque" illud *et ipse* uix interpretaberis, nec apud ullum auctorem id significat „sicuti antea", quod quasi interpretamentum docti librarii in recentioribus codicibus inseruerunt. Eiusdem stultitiae est, quod nonnulla exempla ex primo libro ad uerbum transcripsit (cf. infra p. 326 sqq.); eandem rem cum Frontino 2, 8, 11 aliis uerbis 4, 1, 29 narrat (cf. p. 330); exemplo 4, 1, 14, quo de metatione castrorum agitur, mox exemplum 4, 1, 18 subicit, quo illud redarguitur (cf. p. 341).

Conscriptum libellum a ludi magistro esse quarto quintoue saeculo Curtius Wachsmuth (l. l. p. 582—583) uoluit, quibus temporibus eo incumbebant, ut exempla conquirerent[2]) *non minus disputantibus quam declamantibus necessaria.* Atque Eduardus Woelfflin (l. l. p. 91—92) ei adsentitur. Quae sententia refelli uidetur exemplo 4, 3, 14 quo *Imperatoris Caesaris Domitiani Augusti* ita mentio fit, ut imperante illo scriptum id esse uideatur. Auctorem huius strategematis omnes intellexerunt Frontinum. A quo cum quartum librum abiudicasset Curtius Wachsmuth (l. l. p. 582), ut difficultatem inde natam tolleret, exemplum 4, 3, 14 Frontino uindicauit: collocatum id fuisse proprie post exemplum 2, 11, 7, ibi uero, postquam in quartum librum transpositum esset, intercidisse. Transscripta ex alio libro in alium exempla esse constat (cf. p. 326): tamen priore loco ea post excidisse non habemus quo efficiamus: optimi enim codices ne uno quidem exemplo omisso inter se discrepant. Immo aliena origo uerbis *tradidit mihi* comprobari uidetur, quia Frontinus in libris genuinis, cum posset, haudquaquam sese ipsum nominauit.[3]) Ab eo tamen hoc strategema quin adhibitum sit contra Lingones eodem anno 70[4]), quo praetor urbanus fuerit, non est cur dubitemus: certe non Pseudofrontinus contra Lingones pugnauit, homo in re militari omnino rudis (cf. p. 341); sed is exemplum, quod in commentariis illius belli siue a Frontino ipso siue ab alio scriptis reppererat, narratiunculis collectis intermiscuit, quo magis speciem eiusdem auctoris ostenderet. Id decipiendi studium uel apertius

1) Recentiores codices, nimiam curam librariorum passi, in locis tantum non omnibus exhibent formam *strategematicon.*
2) cf. Iulii Paridis epit. Val. Max. 1 ed. C. Halm. (1865) p. 2, 23.
3) Hermes IX 88.
4) cf. Tac. hist. 4, 39. — Mommsen R. G. V 124—129.

erit, si perlustraueris, quod is consilium in eligendis exemplis secutus sit: Frontinus in maximo exemplorum numero nouies res sub imperatoribus gestas memorat, exemplorum CXXXXI Pseudofrontini sex non ad eadem modo tempora, uerum etiam ad eosdem fere duces pertinent: reliqua omnia temporibus liberae rei publicae gesta sunt, aetatem Frontini excedit nullum. Quam mira in illis sit conspiratio, patebit ex hac tabula:

		2, 1, 15	*Ti. Nero aduersus Pannonios . . .*
4, 7, 8	*Caedicius primipilaris, qui in Germania post Varianam cladem obsessis nostris pro duce fuit . . .*	3, 15, 4	*Reliqui ex Variana clade, cum obsiderentur . . .*
		2, 9, 4	*Arminius dux Germanorum . . .*
4, 1, 28 4, 2, 3 4, 7, 2	*Domitius Corbulo . . .*	2, 9, 5	*Domitius Corbulo . . .*
4, 6, 4	*Diuus Augustus Vespasianus . . .*	2, 1, 17	*Diuus Augustus Vespasianus . . .*
4, 3, 14	*Auspiciis Imperatoris Caesaris Domitiani Augusti . . .*	1, 1, 8 1, 3, 10 2, 3, 23 2, 11, 7	*Imperator Caesar Domitianus Augustus Germanicus . . .*

Haec igitur exempla quoniam non casu collecta esse, sed consilio selecta certissimum est, etiam exemplum 4, 3, 14 ab ipso Pseudofrontino insertum esse tibi persuadebis. De aetate tamen falsarii caue quidquam efficias uel ex praesumpto titulo Augusti[1]) uel ex usu reliquorum titulorum Domitiani, quippe quos nihil mutatos ex fonte describere ille potuerit.

Nec plus efficitur ex diuersitate, quae in fontibus et eligendis et describendis intercedit inter Frontinum et Pseudofrontinum. Hunc solum cum Vegetio conspirare acute uidit Woelfflinus (l. l. p. 83), tamen ab eo pendere iure negauit: rectius sane contrarium contenderes collato exemplo 4, 7, 27 cum Veget. 1, 15 et exemplo 4, 7, 16 cum Veget. 3, 21. Sed apud utrumque eodem ordine strategemata collocantur eorundem, Scipionis et Metelli (Pseudofr. 4, 1, 1—2. Veget. 3, 10), ita tamen relata, ut alter ab altero pendere non possit. Cum Pseudofrontino faciunt Valerius Maximus 2, 7, 1—2 atque magis etiam Plutarchus apophth. Scip. min. 16—17, eadem strategemata conectentes, ut non solum haec uerum illa quoque ex paribus fontibus eisque uberioribus hausta esse admodum probabile sit.

Aliud discrimen in cognominibus Scipionum exstare animad-

1) cf. Th. Mommsen Roem. Staatsrecht II³ 2, 774.

uertit Woelfflinus.[1]) Frontinus enim Africanum intellegit P. Scipionem maiorem (*P. Scipio* uel *Scipio Africanus* appellatur decies ter in tribus libris genuinis. — *P. Scipio* 4, 7, 30 et 39), Pseudofrontinus uero P. Scipionem minorem (*P. Scipio* 4, 1, 1; *Scipio Africanus* 4, 1, 5. 7, 4. 16), cui etiam Aemiliano cognomen dat, a Frontino non usitatum (4, 3, 9 *Aemilianus Scipio* 4, 7, 27 *Scipio Aemilianus*). Quibus addi possunt etiam 3, 6, 2 *P. Cornelius Scipio* — 4, 1, 20 *P. Cornelius Nasica* 4, 1, 15 *P. Nasica.* Videtur igitur Pseudofrontinus cognomina praetulisse. Apud utrumque, sicut apud reliquos scriptores, *C. Caesar* et *L. Sulla* dicitur: alii uero ita memorantur, ut hic cognomen addito praenomine ponat, ille nomen gentile solum aut addito uel praenomine uel cognomine, uti in exemplis hisce:

4, 1, 45	*M. Salinator*	1, 1, 9 2, 3, 8	*Liuius Salinator*
4, 7, 15	*M. Liuius*	1, 2, 9	*Liuius*
4, 7, 36	*Q. Maximus*	1, 11, 4	*Q. Fabius*
		2, 5, 22. 1, 8, 2.	*Fabius*
		1, 3, 3. 1, 5, 28 (1, 11, 21) 3, 4, 1	*Fabius Maximus*
4, 1, 4 4, 5, 5 4, 7, 3	*L. Paulus*	2, 3, 20	*Paulus*
		3, 17, 2	*Aemilius Paulus.*

Sed plura afferre nolo, quia ex his tempora non magis noscuntur quam ex eo, quod Pseudofrontinus a seueriore usu anni designandi, quem tuetur 4, 1, 44 *Q. Fuluio Appio Claudio consulibus,* bis aberrat: 4, 1, 4 *L. Paulo et C. Varrone consulibus* 4, 1, 20 *P. Cornelio Nasica Decimo Iunio consulibus:* qui laxior usus ne apud Tacitum quidem aliosue raro inuenitur.[2])

Restat ut quaeramus, num consuetudine loquendi tempora libri quarti circumscribantur. Atque distare quidem ea librum quartum a prioribus libris Curtius Wachsmuth[3]) et Eduardus Woelfflin[4]) docuerunt enumeratis aliquot proprietatibus: quibus addi possunt alia et multa, uelut incondita structura exempli 4, 2, 1 et asyndeta copulatiua, quibus Frontinus non utitur (cf. 4, 1, 26 *L. Piso C. Titium praefectum cohortis, quod loco fugitiuis cesserat, cinctu togae praeciso,*

1) Hermes IX 73.
2) cf. R. Macke, die roem. Eigennamen bei Tacitus. Hadersleben 1886. (Progr.)
3) Rh. Mus. XV 579.
4) Hermes IX 86—87 et passim.

soluta tunica, nudis pedibus in principiis cotidie stare, dum uigiles uenirent, iussit, conuiuiis et balneo abstinere; cf. 4, 1, 1. 4, 1, 6. 4, 1, 37. 4, 1, 46). Sed ea omnia quamuis diuersa sint a sermone Frontini, non tamen aliena sunt ab eius aetate; et Woelfflinus[1]) facere non potuit, quin de genere dicendi Pseudofrontini iudicaret: *andrerseits hat Pseudofrontin einen leidlichen Stil geschrieben.* Quod idem monuit, in exemplis 4, 1, 10 (*filium suum*) et 4, 1, 32 (*fratrem suum*) pronomen *suum* abundare ut apud Anonymum de uir. ill. (cf. Rhein. Mus. 29, 292 sqq.) aliosque auctores posterioris aetatis, ex eo nihil omnino efficitur: nam idem usus occurrit etiam apud Velleium[2]) et saepissime apud Cornelium Nepotem.[3])

Grauius uidetur, quod usu plusquamperfecti coniunctiui Pseudofrontinus a Frontino differt. Nam 4, 1, 44 codices tradunt sic: *dum ne quis eorum munere uacaret... aut in Italiam reportaretur, dum Poeni in ea fuissent.* Exspectas sane pro plusquamperfecto *fuissent* imperfectum *essent,* sicuti eandem rem narrantes habent Liuius 25, 3—7 et Valerius Maximus 2, 7, 15: iam ex illo quia exemplum haustum uidetur — non autem ex Val. 2, 7, 15 fluxit, ut Curtius Wachsmuth[4]) uoluit, quia ibi consules non memorantur — in plusquamperfecto ipsius Pseudofrontini usus cernitur. Iniuria sanissimum locum temptatum esse a Dederichio, qui tacite *esset* scripsit, et a Guilelmo Hartel, qui ingeniosius quam rectius *dum Poeni inde exissent* coniecit, coarguunt eiusdem generis haec: 4, 5, 7 *etiamsi nemini ad erumpendum audacia fuisset;* 4, 3, 3 *Atilius Regulus, cum summis rebus praefuisset, adeo pauper fuit . . .;* 4, 7, 7 *exercitus suos uisendos speculatoribus eorum, quotiens uoluissent, patere;* 4, 7, 17: *qui in sagulis ferreas fibulas habuissent, interfici iussit.* His locis omnibus coniunctiuus imperfecti exspectatur. Quam commutationem cum constet apud auctores posterioris aetatis percrebrescere, ita ut illis temporibus, quibus linguae Romanicae formari inciperentur, coniunctiuus plusquamperfecti solus in usu uulgari esset, coniunctiuus imperfecti euanuisset, conicere potes nonnullorum saeculorum interuallo Pseudofrontinum distare a Frontino. At eadem consuetudo iam apud optimos auctores inuenitur, ut egregie Fothius[5]) demonstrauit. Idem docuit, in tempore praesenti eorum uerborum, quorum plusquamperfectum praeter consuetudinem pro imperfecto ponitur, ut uelle, posse, esse, habere (l. l. p. 314), uim quandam incohatiuam inesse (l. l.

1) Hermes IX 90.
2) Fritsch, über den Sprachgebr. des Vell. Pat. 1876. p. 15.
3) B. Lupus, der Sprachgebr. des Corn. Nepos 1876. p. 107.
4) Rhein. Mus. XV 579.
5) Foth, die Verschiebung lateinischer Tempora in den roman. Sprachen (Roman. Studien, herausgeg. von E. Boehmer; Bd. II p. 243 sqq. 1877); cf. H. Ehrismann, de temporum et modorum usu Ammianeo (dissert. Argent. X 145) 1886. — Sittl, die localen Versch. der latein. Spr. 1882. p. 132.

p. 313), ita ut plusquamperfectum necessitate quadam locum imperfecti occuparet: postrema demum aetate coniunctiuum plusquamperfecti nulla ratione pro imperfecto poni (l. l. p. 317). Ex magna copia exemplorum, quae ille (l. l. p. 311 sqq.) congessit, pauca tantum adfero, ubi eadem uerba quae apud Pseudofrontinum in eisdem sententiis secundariis leguntur: Vitruu. 2, 9, 15 *diuus Caesar cum exercitum habuisset circa Alpes imperauissetque . . ., tunc . . . noluerunt imperio parere.* — id. 3, prol. 3: *ergo uti Socrati placuit, si ita sensus et sententiae scientiaeque . . . perspicuae et perlucidae fuissent, non gratia neque ambitio ualeret.* — id. 4, 1, 6 *in ea aede cum uoluissent columnas collocare, . . . retulerunt (uestigium) in altitudinem.* — id. 6, prol. 1: *cum autem eius comites in patriam reuerti uoluissent interrogarentque eum . . ., tunc ita mandauit . . .* — id. 7, 9, 2 *cum . . . uoluisset habere domum . . . . parietes omnes induxit minio.* — id. 10, 1, 4 *aspiciamus . . . stellarum naturam, quae ni machinata uersarentur, non habuissemus interdum lucem nec fructuum maturitates.* — id. 10, 22, 7 *iussit omnes publice et priuatim quod quisque habuisset aquae stercoris luti per eam fenestram . . . . effundere ante murum.* — Curtius 4, 1, 9 *si saniora consilia tandem pati potuisset, contentus patrio cederet alieni imperii finibus.*[1]) His igitur cum exemplis si locos Pseudofrontini supra allatos comparaueris, ex eo usu nihil effici ad aetatem circumscribendam concedes, quia Vitruuius[2]) aliique auctores multo ante Frontinum florentes haud raro item loquuntur. Quem usum cum iure Nipperdeius uulgari sermoni uideatur adscripsisse[3]), hoc tantum recte contendes, Pseudofrontinum, cum coniunctiuum plusquamperfecti pro imperfecto quinque locis poneret, consuetudini uulgari indulsisse.

Aliud discrimen exstat in orthographia. Nam cum in prioribus libris una legatur forma eaque incerta 3, 12, 2 *saeuom*, in quarto libro formae 4, 5, 5 *equom* et 4, 5, 16 *uiuosque* optimis codicibus *GH* confirmatae sunt, solius codicis *G* auctoritate nituntur 4, 6, 2 *equom* 4, 7, 36 *reliquom* 4, 5, 5 *uolneratus*. Eas formas in archetypo codicum fuisse seruatasque codice *G*, in codice autem *H* partim mutatas, contra in altero codicum genere (*P*) librariorum studio omnes correctas esse, ex condicione codicum colligitur. A librario archetypi originem eas trahere uix credi potest, quod tres libri priores carere eis uidentur: cum his uero parem fortunae condicionem

1) cf. Vogel, ed. altera (1875) p. 35.

2) Mire res confundit Karolus Sittl (die localen Versch. p. 132): qui quamuis Fothii dissertationem laudauerit, ubi largissima copia exemplorum eius consuetudinis apud Vitruuium repertorum exstat, tamen disputare pergit: „Da jedoch weder . . . noch Vitruv noch auch Petron oder ein anderer schlechter Stilist hierin wider die Grammatik sündigen . . .“, ut ne legisse quidem uideatur commentationem ab ipso laudatam.

3) cf. Caesaris opera, ed. Nipperdeius 1847 p. 20. — Albrecht Köhler, de auctorum belli Africani et belli Hispaniensis latinitate 1877. p. 52.

a primo die quartum librum subiisse consentaneum est. Itaque non dubito, quin Pseudofrontinus formas *equom, reliquom, uiuosque, uolneratus* scripserit: sed indicium aetatis ne eis quidem praebetur. Quas quamquam Quintilianus sua aetate obsoleuisse testis est (1, 7, 26), quo cum testimonio bene congruit, quod Frontinus eis uidetur abstinuisse, tamen satis constat etiam postea ne apud meliores quidem auctores non inueniri et in uulgari usu semper uiguisse.[1]) Porro cum eis auctoribus, qui antiquos cum in aliis rebus tum in orthographicis sectabantur[2]), Pseudofrontinus non facit, quia praeter illas formas nihil inuenitur, unde merito antiquorum imitator uocari possit. Hoc tantum recte colliges, Pseudofrontinum grammaticorum praeceptis haud ita diligenter addictum fuisse.

Ex his igitur quae disserui apparet certis finibus tempora libri quarti circumscribi non posse. Quarto uel quinto saeculo, ut Wachsmuthius uoluit, compositum eum non esse, firma argumenta, quibus demonstretur, desunt. Sed ea aetate si fuerit Pseudofrontinus, summo studio imitatus esse priorum temporum sermonem purum putandus est: hoc tamen eo uidetur improbari, quod neque ingenio promptum neque eruditione bene instructum eum fuisse certa indicia exstant. Quod cum ita sit, in eam inclino sententiam, ut scriptum esse quartum librum existimem ab homine haud ita erudito — a studioso, si uis, rhetoricae — aetate a Frontino non multum distante, initio fortasse saeculi alterius p. Chr.

Caput II.

De exemplis bis traditis.

Nonnulla exempla bis traduntur aut eisdem uerbis aut uariata narratione. Quorum in numero ea exempla non duco, quibus, quamuis eaedem res tangantur, tamen alio consilio alia proferuntur: sicut uario consilio de eadem clade Hasdrubalis refertur 1, 1, 9. 1, 2, 9. 2, 3, 8. 4, 7, 15, de eadem pugna aduersus Etruscos commissa 1, 11, 1. 2, 6, 7. 2, 7, 11, de Byzantio ab Alcibiade oppugnato 3, 9, 6 (Cyzicus errore oppidum uocatur: cf. p. 357) et 3, 11, 3. Sed de eis agam exemplis, quibus nulla ratione eadem res bis narratur.

Atque eisdem uerbis relata exempla leguntur haec:

1, 5, 12 = 4, 5, 8
1, 5, 13 = 1, 1, 11
1, 5, 14 = 4, 5, 9

---

1) cf. Schuchardt, Vocalism. II 179 sqq. — Brambach, die Neugestaltung der latein. Orthogr. 87—101. — Corssen, Ausspr. (1870) II² 101—102.

2) cf. Fronto, ed. Naber. p. 282. — Brambach l. l. p. 100.

1, 5, 15 = 4, 5, 10
1, 11, 3 = 4, 5, 11
1, 10, 1 = 4, 7, 6
4, 7, 40 = 2, 4, 15
4, 7, 41 = 2, 4, 16.

Rem Oudendorpius[1]) ita explicauit, ut memoria deceptum auctorem eadem exempla bis inseruisse diceret. Quod tamen neque per se probatur et iniuria Frontino exprobrari manifestum est. Nam excepto uno exemplo (1, 5, 13 = 1, 1, 11) omnia iterum leguntur in libro quarto: quem cum non a Frontino scriptum esse certo certius sit, sequitur, ut repetita sint aut a Pseudofrontino aut a librariis. Atque librarios id fecisse suspicatur Woelfflinus[2]) ab exemplis profectus 2, 4, 15. 16 = 4, 7, 40. 41, quae iure Pseudofrontino uindicat.[3]) Errat quidem in eo, quod 2, 4, 15 illud *et sic* cum sermone conspirare dicit solius Pseudofrontini (coll. 4, 7, 24. 32. 40), non Frontini summam exempli facientis uerbis *atque ita:* nam apud hunc quoque legitur *ac sic* 1, 11, 8, *sic* 1, 3, 8, *sic* 2, 5, 31. Recte uero animaduertit et structuram exempli 2, 4, 15 a more Frontini abhorrere et dispositionem capitis eo turbari.[4]) Cum hoc etiam exemplum 2, 4, 16 eici consentaneum est. Quae duo exempla a librario potius, fortasse ab eodem, qui exemplum 2, 4, 14 inseruit, (cf. infra p. 331 sq.) quam a Pseudofrontino repetita esse, non est cur negetur.

Contra quinque exempla primi libri (1, 5, 12. 14. 15. 1, 11, 3. 1, 10, 1), quae iterum leguntur in quarto (4, 5, 8. 9. 10. 11. 4, 7, 6) quaeque uindicanda sunt Frontino[5]), a Pseudofrontino transcripta mihi uidentur. Librarii enim si id fecissent, mirum profecto esset, quod in quarto tantum libro complura exempla repetissent, in prioribus non item, cum praeter alia exempla 2, 9, 3—5 potuissent inserere libro tertio et exempla 1, 8, 6. 9 ante 1, 1, 10.

Accedit, quod in summo exemplorum consensu non desunt differentiae quaedam uerborum:

1, 5, 12	ad Hasdrubalem perrupit	4, 5, 8	locoque iniquo circumuentus ab Hasdrubale erupit
1, 5, 14	tribunus Cornelio Cosso consuli occupatum erat in propinquo dimisit	4, 5, 9	tribunus militum Cornelio consuli occupandum in propinquo erat emisit

1) cf. editionis alt. (1779) p. 79 adn. 43.
2) Hermes IX (1876) 90.
3) l. l. p. 74 sq.
4) l. l. p. 77. 79. 80.
5) l. l. p. 85.

	noctu		nocte
	frustratus		eluctatus
1, 5, 15	is cuius	4, 5, 10	cuius
	traditur nomen		traduntur nomina
	Fama		Flammam
	is cum		hic cum
	omnia		omniaque
	accepit		accepit a consule
	adhortatus		hortatus
	decucurrit et		decucurrit
1, 11, 3	Ariouistum	4, 5, 11	regem Ariouistum
	confusis suorum		confusior
	consecutus		adsecutus
	ut		ut et
	cogerentur		concitarentur
1, 10, 1	exposcentes	4, 7, 6	deposcentis
	praeualido		eorum praeualido
	adfectos		electos
	equo exili		equi exilis
	ualentiorem		ualentioris
	per singulos		per singulos pilos
	cumque gracilis fecisset		cumque gracili successisset
	cohortium		uirium
4, 7, 40	prope a uirgultis	2, 4, 15	prope uirgultis
1, 5, 13	inflexit iter	1, 1, 11	se inflectens.

Horum quae attuli non pauca incuriae debentur eorum, qui exemplaria descripserunt; uelut 1, 5, 12 lacuna, qua orta alii ex uerbis *ab Hasdrubale* correxerunt *ad Hasdrubalem;* 4, 5, 11 *confusior;* 1, 11, 3 *cogerentur.* Difficilius dictu est, utrum 4, 5, 9 *Cosso* exciderit propter insequens *consuli* an praetermissum sit; similiter dubitari potest de his: 1, 5, 15 *accepit* atque *decucurrit et;* 1, 11, 3 *ut;* 1, 10, 1 *praeualido.*

Sed plura haud dubie ab eo, qui exempla transcripsit, mutata sunt: uelut 4, 5, 10 *traduntur nomina* (1, 5, 15 *traditur nomen*); 4, 5, 11 *adsecutus* (1, 11, 3 *consecutus*); 4, 7, 6 *uirium* (1, 10, 1 *cohortium*). Atque 4, 5, 10 *hortatus* (1, 5, 15 *adhortatus*) legitur, quod uerbum simplex semel occurrit apud Frontinum (2, 7, 9 *hortatus* — 3, 9, 3 *adhortatus* 1, 5, 27 *admonitos*), ter apud Pseudofrontinum (4, 5, 10. 6, 1. 7, 15). Item pro *noctu,* quod frequentissimum est (1, 5, 28. 1, 8, 9. 3, 9, 4. 3, 2, 5. 3, 3, 6. 1, 5, 20), in repetito exemplo 4, 5, 9 *nocte* dicitur (cf. 4, 7, 30 — semel apud Frontinum 1, 4, 5) et cum 1, 5, 14 *tribunus* scriptum sit, *tribunus militum* 4, 5, 9 legitur (tribunus 1, 1, 3. 1, 2, 1. 11, 2. 3, 14, 1

trib. militum 2, 4, 4 — tribunus 4, 1, 1. 4 trib. militum 4, 1, 30. 32. 4, 5, 7). Ac uerba 1, 10, 1 *cumque gracilis fecisset* mutantur 4, 7, 6 in *cumque gracili successisset:* succedendi autem uerbum nisi proprio sensu Frontinus non adhibet (cf. 1, 5, 16. 2, 5, 8. 2, 12, 2. 3, 2, 4. 3, 17, 1), cum translato sensu uerbo cedendi utatur (cf. 2, 5, 29. 2, 9 tit. 2, 10 tit.). Itaque iniuria Guilelmus Hartel 1, 10, 1 aperto mendo codicis *H* nisus *gracili successisset* proposuit.

Ex his quae perstrinxi apparet consuetudinem loquendi eius, qui exempla 4, 5, 9. 10 et 4, 7, 6 transcripsit, non semel cum sermone Pseudofrontini conspirare: quo adductus sum, ut ab ipso exempla 4, 5, 8—11 et 4, 7, 6 collecta esse cum Curtio Wachsmuth[1]) sumam. Quae sententia eo non refutatur, quod auctorem libri quarti, cum partes Frontini agere studuerit, non exempla priorum librorum transcripturum fuisse dicis: nam etiam hoc stultitia (cf. p. 320 sq.) factum crediderim, nisi mauis studio fallendi, ita ut repetitis eisdem exemplis speciem eiusdem auctoris uoluerit praebere.

Exemplum 1, 5, 13 ex 1, 1, 11 repetitum esse Curtius Wachsmuth contendit[2]), quod de occultando consilio magis quam de euadendo ageretur quodque Pseudofrontinus, cum proxima exempla 1, 5, 12. 14. 15 describeret, id omisisset. Contra exemplum 1, 1, 11 ex 1, 5, 13 repetitum a librario esse Eduardus Woelfflin[3]) effecit et sermone (1, 1, 11 *se inflectens* — 1, 5, 13 *iter inflexit:* cf. 1, 4, 3 *flexit iter* 2, 5, 38 *flexit*) et contextu exemplorum (1, 5, 12 *locoque iniquo* 1, 5, 13 *in locum iniquum*, 1, 5, 14 *iniquis locis*). Cui equidem adsentior, ea insuper causa motus, quod 1, 5, 13 asyndeton explicatiuum (*inflexit iter tamquam — adgressurus: conuerso agmine — reduxit*) summam exempli faciens unice mori auctoris conuenit et quod exemplo 1, 1, 11 ordo turbatur[4]): nam Furii strategema inter § 9 et § 10 ponendum erat (§ 8 iter Domitiani celatur, § 9 Claudius Nero iter celat, § 10 exemplum externum, § 11 Furius iter celat, §§ 12—13 dicta).

Itaque exemplorum bis traditorum ea, quae librarii transcripsisse uidentur (1, 1, 11. 2, 4, 15. 16), delenda, quae Pseudofrontinus repetiuit (4, 5, 8. 9. 10. 11. 4, 7, 6), ea non temptanda esse duxi.

Iam uenio ad ea exempla, quibus uariata narratione bis idem consilium explanatur:

1, 4, 9 = 1, 4, 9[a]
1, 5, 10 = 3, 9, 9
1, 5, 24 = 2, 12, 4
2, 8, 11 = 4, 1, 29
3, 16, 1 = 4, 7, 36
4, 2, 5 = 4, 2, 7.

1) Rhein. Mus. XV 578.
2) Rhein. Mus. XV 577.
3) Hermes IX 85.
4) Hermes IX 77—80.

Atque Oudendorpius Frontinum incusauit, quod 1, 4, 9 et 1, 4, 9[a] ex uno Alexandri strategemate fecisset duo. At is utrumque strategema diuerso fluminis nomine deceptus recepit ex duobus fontibus excerptum: quorum alter exemplum 1, 4, 9 iam contractum continebat, ut apparet ex Polyaen. 4, 3, 9, ubi item insulae non mentio fit[1]); alter fusius rectiusque totum transitum fluminis tradebat, nisi quod pro Hydaspe flumine Indum perperam substituerat, cuius transitus ab hostibus omnino non impeditus fuit (cf. Curt. 8, 12. Diod. 17, 86. Arrian. 5, 3). Quod cum ita sit, et errore et fraude Frontinus absoluitur.

Strategema Periclis 3, 9, 9 Peloponnesiorum castellum oppugnantis et eiusdem 1, 5, 10 a Peloponnesiis abrupto loco obsessi ad unam eandemque rem spectare sine dubio recte Wachsmuthius iudicat: uerumtamen alienum esse exemplum 1, 5, 10 nego, cum nec sermo suspectus sit nec dispositio (1, 5, 8—11 fossis factis euadunt ex locis difficillimis: 8—9 exempla Romana, 10—11 exempla externa). Sed ut mutatis nominibus strategema Periclis (3, 9, 9) castellanos obsidentis a Polyaeno 5, 10, 3 Himilconi tribuitur, ita inuersa re exemplum 1, 5, 10 ex altero (3, 9, 9) in strategematon officina factum iam ante aetatem Frontini circumlatum esse collectumque ab illo, ut exemplum 1, 4, 9[a], ex uili libro satis uerisimile est.

Neque magis Curtio Wachsmuth[2]) concedo strategema Iphicratis 2, 12, 4 a librario ex 1, 5, 24 transcriptum esse; sed quia in exemplo 2, 12, 4 nec sermo nec dispositio suspecta est atque Polyaenus[3]) etiam ter (3, 9, 41. 46. 50) eadem fere strategemata tradit, Woelfflino[4]) adsentior ab ipso auctore utrumque exemplum existimanti ex diuersis fontibus uel ex duobus locis eiusdem fontis excerptum esse.

Mutatis nominibus ex uno facta esse duo strategemata 3, 16, 1 et 4, 7, 36 suspicatur Woelfflinus[5]): quod num uerum sit, nolo inuestigare. Certe utrumque auctoritate scriptorum Frontino uetustiorum confirmatur: Marcelli humanitate Bantium retentum esse Frontinus 3, 16, 1 cum Liu. 23, 15, 7 (cf. Dio frgm. 57, 34) refert; Fabii liberalitate Statilium ad fidem adstrictum esse praeter Pseudofrontinum 4, 7, 36 tradunt Val. Max. 7, 3, 7 et Anonym. de uir. ill. 43, 5. Plutarchus uero idem strategema et a Marcello (Marc. 10—11) et a Fabio (Fab. 20) adhibitum narrat.

Strategema M. Atili consulis a Frontino 2, 8, 11 et breuius a Pseudofrontino 4, 1, 29 ita narratur, ut hic non ab illo, sed uterque a Liuio (10, 35, 1. 36, 5—9) pendere intellegatur.

---

1) cf. Jahrb. f. class. Philol. Suppl. Bd. XIV (1885) 610.
2) Rhein. Mus. XV 578.
3) cf. Jahrb. f. class. Philol. Suppl. Bd. XIV (1885) 571.
4) Hermes IX 85.
5) l. l. p. 86.

Quoniam constat Frontinum exempla, prout in libris scriptorum uel in collectaneis relata inuenerat, collegisse, gemina non reiecisse, ne Pseudofrontinum quidem aliter fecisse mirum est. Nam cum 4, 2, 5 eundem Cyrum pateat eademque quattuordecim milia Graecorum intellegi atque 4, 2, 7, non tam alienum aut corruptum alterutrum est — in eam enim sententiam inclinabat Oudendorpius — quam ex diuerso fonte utrumque exemplum excerptum: ad eandem rem ea pertinere homo ille stupidus non uidit.

Immerito exemplis geminis strategemata 1, 9, 4 et 4, 5, 2 adnumerauerunt: hoc enim ad seditionem nonae legionis 49 a. Chr., illud ad seditionem decimae legionis 47 a. Chr. factam spectare Woelfflinus dilucide ostendit.[1])

Exemplis autem, quae bis traduntur, addi possunt alia, uelut § 2, 3, 11 = § 2, 5, 31; § 3, 4, 4 = § 3, 4, 3; § 4, 7, 11 = § 4, 7, 10. Sed de eis aptius agetur in capite, quod insequitur.

Caput III.

De exemplis alienis.

Curtius Wachsmuth[2]), cum uidisset illud *dicitur, fertur, traditur,* quod in quarto libro perquam frequenter inuenitur, apud Frontinum fere non legi nisi in exemplis quibusdam breuissimis ac paene inanibus, ob id deleri iussit exempla 3, 4, 4. 3, 7, 5. 3, 12, 3. 3, 15, 2. Cui adsensus Eduardus Woelfflin[3]) alia eiusdem generis eiecit, id argumentatus, quod graue est uehementer, ex eis exemplis nihil omnino discere potuisse duces, quorum in usum hoc opus Frontinus componeret (cf. praef. I: *ita enim consilii quoque et prouidentiae exemplis succincti duces erunt, unde illis excogitandi generandique similia facultas nutriatur*). Eam ob causam aliena censenda sunt quindecim exempla, quibus ad priora adnexis idem strategema ab aliis contra alios adhibitum nimis exigue et exiliter notatur:

(1, 3, 6 Themistocles aduentante Xerxe auctor fuit Atheniensibus urbem relinquendi.)

1, 3, 7 *Idem fecit in eadem ciuitate Pericles aduersum Lacedaemonios.*

(1, 7, 3 Carthaginienses crinibus tonsarum mulierum ad funes efficiendos usi sunt.)

1, 7, 4 *Idem Massilienses et Rhodii fecerunt.*

---

1) Hermes IX 86.
2) Rhein. Mus. XV 579.
3) Hermes IX 76. 86.

(1, 11, 14 Alexander Macedo sacrificaturus per haruspicis manum iecur litteris inscripsit, quae significabant uictoriam Alexandro dari.)

1, 11, 15 *Idem fecit Sudines haruspex proelium Eumene cum Gallis commissuro.*

(2, 3, 10 Xanthippus auxiliares ad hostem circumeundum iterum emittit.)

2, 3, 11 *Sertorius idem in Hispania aduersus Pompeium fecit.*

(2, 4, 13 Pyrrhus elephantis usus est ad perturbandam aciem Romanorum.)

2, 4, 14 *Poeni quoque aduersus Romanos frequenter idem fecerunt.*

(2, 4, 18 Falisci et Tarquinienses facibus et anguibus aciem Romanam turbant.)

2, 4, 19 *Idem Veientes et Fidenates facibus adreptis fecerunt.*

(2, 8, 4 Camillus signiferum in hostes traxit.)

2, 8, 5 *Saluius Pelignus bello Persico idem fecit.*

(2, 8, 8 Seruilius Priscus dictator, cum signa legionum in hostis Faliscos ferri iussisset, signiferum cunctantem occidi imperauit.)

2, 8, 9 *Cossus Cornelius magister equitum aduersus Fidenates idem fecit.*

(3, 4, 1 Fabius Maximus ab obsidione Campanorum sementis tempore recessit, ut frumentum in sationes conferrent: reuersus deinde renata protriuit.)

3, 4, 2 *Antigonus aduersus Athenienses idem fecit.*

(3, 4, 3 Dionysius pace simulata, cum Reginorum frumentum exhausisset, urbem adgressus est.)

3, 4, 4 *Idem et aduersus Himeraeos fecisse dicitur.*

(3, 7, 4 Alexander Euphrate flumine auerso Babylona cepit.)

3, 7, 5 *Samiramis aduersus eosdem Babylonios eodem Euphrate auerso idem fecisse dicitur.*

(3, 12, 2 Iphicrates uigilem dormientem transfixit.)

3, 12, 3 *Epaminondas Thebanus idem fecisse dicitur.*

(3, 15, 1 Romani a Gallis obsessi panem in hostem iactauerunt.)

3, 15, 2 *Athenienses aduersus Lacedaemonios idem fecisse dicuntur.*

(4, 3, 9 Scipionem traditur in itinere cum amicis ambulantem accepto pane uesci solitum.)

4, 3, 10 *Idem et de Alexandro Macedone dicitur.*

(4, 7, 10 Hannibalis consilio Antiochus uascula uiperis plena in hostium classem iaculatus est.)

4, 7, 11 *Idem fecit iam cedente classe sua Prusias.*

Haec igitur exempla ab alio postea adspersa esse uestigia etiam exstant planissima. Latere enim in exemplo 1, 3, 7 *Idem fecit in eadem ciuitate Pericles aduersum Lacedaemonios* errorem iam intellexit Wesselingius: idem quod Themistocles si Pericles fecisset, non *aduersum Lacedaemonios* — iniuria autem Woelfflinus[1]) in forma *aduersum* offendit, quae legitur etiam in exemplis minime suspectis 2, 7, 9 et 3, 17, 5, licet *aduersus* sit longe frequentissimum — sed *aduentantibus Lacedaemoniis* fecisset. At Pericles non idem quod Themistocles fecit: numquam Atheniensibus auctor fuit urbem relinquendi; uerum is Lacedaemonios, cum Atticam depopularentur, Peloponnesi ciuitates maritimas adgressus ad reuocandum exercitum coegit (cf. Thucyd. 2, 56 et loci laudati ed. strat. p. 144). Quale strategema quia 1, 3, 9 narratur, post 1, 3, 9 potius quam post 1, 3, 6 collocandum hoc exemplum egregie monuit Petrus Wesseling.

Similiter turbato exemplorum ordine contra fidem historiae narrari 2, 8, 5 *Saluius Pelignus bello Persico idem fecit* Perizonius animaduertit. Nam Saluium non arreptum manu signiferum (cf. 2, 8, 4) in hostes traxisse, sed signum (cf. 2, 8, 3) in hostes eiecisse, testis est Plut. Aem. 10: Σάλουιος ὁ τῶν Πελιγνῶν ἡγούμενος ἁρπάσας τὸ σημεῖον τῶν ὑφ' αὑτὸν εἰς τοὺς πολεμίους ἔρριψε sqq. Itaque non post 2, 8, 4, sed post 2, 8, 3 Saluii strategema ponendum erat.

Exemplum autem 2, 8, 9 *Cossus Cornelius magister equitum aduersus Fidenates idem fecit* inserendum fuisse post 2, 8, 10, ubi equites in hostem missi traduntur, non post 2, 8, 8, ubi de legionibus agitur, et res ipsa docet (cf. *magister equitum idem fecit*) et Liuius 4, 33, 7 testatur: *magister equitum . . . frenos ut detrahant equis imperat; et ipse princeps calcaribus subditis euectus effreno equo in medios ignes infertur, et alii concitati equi libero cursu ferunt equitem in hostem* sqq. cf. Flor. 1, 11, 3 *Cossus equitum magister exuere frenos imperauit.*

Horum ordinem ita turbatum Oudendorpius explicauit, ut a librario neglegenti, cum libri strategematon describerentur, ea praetermissa, post intellecto errore suppleta, sed non suo loco inserta esse diceret. Quod quamquam per se fieri potuit, tamen mirum esset, in uno capite 2, 8 duo exempla 5 et 9 omissa fuisse; sed a ueri specie prorsus abest, ea ipsa exempla, quae ob alias causas ualde iam suspecta sunt, ab illo omissa fuisse, cum reliqua omnia incuria librarii non infestata suum locum retinuerint. Aliena exempla esse

1) Hermes IX 76.

ubi concesseris, facillime, quomodo facta sit perturbatio, intelleges: haec enim exempla qui collegit, in margine ea exemplaris propter similia adscripserat; ille uero, qui exemplar ita auctum describebat, non intellecta ratione nec perspecto contextu rerum exempla 1, 3, 7. 2, 8, 5. 2, 8, 9 superiore uel inferiore loco post diuersa inseruit, ut serie ita effecta narratio euaderet peruersa.

Reliqua eiusdem generis exempla suo loco interiecta uidentur. Exemplum autem 3, 7, 5 absurdum est: intelleguntur fortasse canales, quos per Babylona urbem ex Euphrate Samiramis duxit; non uero regina urbem, quam ipsa condidisse fertur, flumine auerso cepit (cf. Herod. 1, 185. Strab. 16, 2. Polyaen. 8, 26).

Exemplum 2, 3, 11 suspicor excerptum esse ex exemplo 2, 5, 31, collatis uerbis *subducti in dextrum latus uelut cesserunt equites, deinde circumita legione hanc quoque a tergo infestauerunt* sqq.

1, 11, 15 Eumenem errore pro Attalo poni Eduardus Woelfflin[1]) et Ioannes Melber[2]) contendunt coll. Polyaen. 4, 20. Sed nescio an Eumenis nomen defendi possit[3]), cum contra Gallos eum pugnasse tradat Iustinus 27, 3, 1: *Interea rex Bithyniae Eumenes .... uictorem Antiochum Gallosque adgreditur. Nec difficile saucios adhuc ex superiore congressione integer ipse uiribus superat.* Certe hoc mihi uidetur constare, nomen Eumenis iam fuisse in fonte, ex quo id exemplum fluxit, quamquam non nego rem a Polyaeno et apud Frontinum narratam ad unum spectare strategema. Non semel sollertia ducum facta mutatis nominibus seu augendi studio seu ueri indagine tamquam geminata esse, paulatim ut diuersa exempla ab eis, qui notabilia excerpserunt, in uolumina recepta supra iam expositum est (p. 330) iterumque noscitur exemplo 3, 4, 4. Nam alieno exemplo 3, 4, 4 cum Polyaeno 5, 2, 10 faciente, contra Himeraeos Dionysii strategema adhibitum narratur; genuino autem exemplo 3, 4, 3 a parte Diodori 14, 108 stante, Reginos a Dionysio deceptos traditur: strategema haud dubie unum idemque, sed uetusto iam tempore geminatum.[4])

Exemplum 3, 4, 2 cum narratione Polyaeni 4, 6, 20 plane conspirat.[5]) Tria igitur exempla huius generis apud Polyaenum leguntur: 1, 11, 15 apud Polyaen. 4, 20.

3, 4, 2 „ Polyaen. 4, 6, 20.
3, 4, 4 „ Polyaen. 5, 2, 10.

Ex Liuii libro quarto hausta conicias haec:

2, 4, 19 coll. Liu. 4, 33.
2, 8, 9 „ Liu. 4, 32, 3. 4. 33, 7—8.

---

1) Hermes IX 76.
2) Jahrb. f. class. Philol. Suppl. Bd. XIV (1885) 641.
3) cf. Droysen, Gesch. des Hellenism. III² 1, 398. 409 Anm. 3.
4) l. Melber l. l. p. 502 non recte de hoc exemplo iudicat.
5) l. l. 625 sq.

Res aliunde omnino non notae traduntur alienis exemplis 1, 7, 4. 3, 7, 5. 3, 12, 3. 3, 15, 2. 4, 3, 10.

Interiecta esse haec exempla a Pseudofrontino ex eo, quod uerba *dicitur traditur fertur* ut in libro quarto ita in exemplis alienis frequentia sint[1]), uix quisquam efficiet. Atque apud ipsum duo exempla eiusdem generis exstant 4, 3, 10 et 4, 7, 11: quorum hoc conspirat cum narratione Iustini 32, 4, 6. 7 et Cornelii Nepotis Hann. 11, item Prusiae strategema tribuentium; unde nescio an illud Antiochi (4, 7, 10) mutato nomine sit generatum. Haec duo exempla profecto Pseudofrontinus, si adferre uoluisset, fusius narrasset. Immo ex uerbis *Idem fecit* identidem repetitis haud alienum est suspicari, quindecim illa exempla adspersa esse ab aliquo, qui libros Frontini quartumque cum eis iam coniunctum percurreret inspectisque strictim aliorum uoluminibus, quae repperisset similia, in margine exemplaris adnotaret. Quod ut faceret, paene admonitus est uerbis auctoris ipsius (praef. I p. 2, 19): *facile erit sub quaque specie suggerere. nam . . . adiuuari me ab his qui aliquid illi adstruent, non argui credam.* Euoluisse eum non libros historiarum, sed corpus exemplorum simile operi Frontini, cum ex uarietate exemplorum tot saecula memoriae et Romanae et externae amplexorum cognoscitur, tum ex indole librorum Polyaeni (cf. p. 334), qui et ipse exempla his similia ex collectaneis sumpsit.

His cum exemplis inanibus caue confundas ea, quae quamuis sint breuia et praepositis uocibus *similiter, eodem modo, eadem ratione* prioribus exemplis adnectantur, tamen uariata quodammodo condicione rerum aliquid noui ad instruendos duces adferunt. Atque exempla 1, 5, 15 (*Idem fecit sub Atilio Calatino consule is, cuius . . .*), 1, 12, 9 (*simili eiusdem sideris deminutione . . .*), 1, 2, 8. 1, 5, 2 (*Similiter*) 1, 5, 26 (*Eundem errorem obiecturi nostris Ligures . . .*), 2, 3, 7 (*Contra Hannibal . . .*) neminem puto fore, cui in suspicione sint. Tuenda etiam sunt exempla 1, 2, 4. 2, 3, 18. 2, 4, 13. 2, 9, 4. 4, 7, 41. Haec quantopere distent ab illis, optime nosces exemplis 2, 4, 13 et 2, 4, 14 inter se comparatis:

(2, 4, 12: *Croesus . . · hostium equitatui camelorum gregem opposuit . . .*)

2, 4, 13: *Pyrrhus Epirotarum rex pro Tarentinis aduersus Romanos eodem modo elephantis ad perturbandam aciem usus est.*

2, 4, 14: *Poeni quoque aduersus Romanos frequenter idem fecerunt.*

Exemplo igitur 2, 4, 13, cum elephanti aciem perturbant, nouum consilium adfertur: contra in exemplo 2, 4, 14 nihil omnino inest, quo facultas excogitandi generandique similia ducibus nutriatur (cf. praef. I p. 1, 11).

1) cf. Rhein. Mus. XV 579. Hermes IX 86. 87.

Neque adsentior Curtio Wachsmuth exemplum 1, 2, 4 suspectum habenti: nam strategemata 1, 2, 3 (Hamilcar Rhodinus simulato exsilio apud Alexandrum moratur) et 1, 2, 4 (Carthaginienses per speciem legatorum Romae morantur) non solum satis uaria sunt, sed etiam genus dicendi bene cum consuetudine Frontini congruit (*Idem Carthaginienses:* cf. 1, 5, 20 *Spartacus* — 21 *Idem* — 22 *Idem;* 2, 5, 21 *Hannibal* — 22 *Idem Hannibal* — 23 *Idem Hannibal* — 24 *Idem* — 25 *Idem Hannibal;* atque *per speciem legatorum:* cf. 1, 1, 3 *per speciem seruitutis* 1, 1, 5 *per speciem securitatis* 1, 4, 4. 12. 5, 5. 22. 26. 2, 2, 5. 3, 12. 4, 3. 6. 8. 5, 17. 28. 12, 3. 4. 3, 2, 8. 10. 8, 2. 10, 2. 11, 5. 13, 6).

Aliena porro sunt exempla 1, 7, 7. 2, 11, 6. 3, 13, 3. 4. 5.[1]) Nam strategemata 3, 13, 3—5 a quo aduersus quos quando ubi adhibita sint, contra consuetudinem Frontini non traditur, ut adnotata uideantur ab aliquo, qui pleniora eadem in collectaneis inuenerat.[2]) Exempli autem 1, 7, 7 alienam originem et sermo confirmat ab usu Frontini abhorrens (*Non alienus, ut arbitror, hic locus est referendi factum Alexandri Macedonis illud nobile qui . . .*) et ipsa res a reliquis exemplis eius capitis omnino diuersa (*quemadmodum ea, quibus deficiemur, uideantur non deesse aut usus eorum expleatur:* § 1 naues — dolia § 2 naues — tranare § 3 spartum — crines [§ 4 Idem] § 5 scuta — cortices § 6 scuta — uimina § 7 sitis — temperantia): descriptum est ex capite de temperantia libri nescio cuius, ut factum eiusdem Alexandri 2, 11, 6 ex capite de abstinentia sumptum est; cf. Val. Max. 4, 3 *de abstinentia et continentia,* ubi § 1 idem factum Scipionis laudatur, quod narrat Frontinus 2, 11, 5.

Exempla Scipionis et Alexandri, apud Frontinum 2, 11, 5. 6 nunc etiam coniuncta, iam antiquitus collata fuisse patet ex locis Gellii 7, 8 et Ammiani 24, 4, 27, qui uxorem Darei appellant, quam hic eximiae pulchritudinis uirginem captiuam, finitimae gentis principi desponsam. Praeterea 2, 11, 6 *traditum est* (cf. supra p. 331) non magis Frontini est quam illud *quoque* (*Alexandrum quoque . . .*), quod item legitur in exemplis alienis 2, 4, 14 (*Poeni quoque . . .*) et 3, 13, 3 (*Venationi quoque . . .*).

Contra exempla 1, 8, 6. 1, 11, 11. 12. 13. 2, 5, 31. 3, 9, 3. 4, 1, 14 iniuria in suspicionem uocari mihi uidentur. Atque in exemplo 1, 8, 6 Curtius Wachsmuth uituperat narrationem nimis incertam (*quaedam ciuitates* et *inter finitimos* nullo addito nomine) et rem ab hoc capite alienam. Sed etiam exemplum 3, 15, 4 minime suspectum nominibus fere caret (*Reliqui ex Variana clade . . . captiuos . . . dimiserunt*); item exemplum 2, 5, 45. Atque nescio an exemplum 1, 8, 6 eadem ratione qua praecedens (1, 8, 5 strate-

1) cf. Rhein. Mus. XV 576. 580. Hermes IX 74—76. 87.

2) cf. Griech. Kriegsschriftsteller von H. Koechly und W. Ruestow I. p. 175.

gema Didii) consilio conueniat hostes distringendi: illic hostes specie pugnae, hic Romani simulatione componendae seditionis distringuntur: qua districtione ad Didium legiones perueniunt, ciuitatibus obsides redduntur. Rerum quoque contextus exemplum tuetur: distringuntur enim hostes opera captiuorum § 5, legatorum § 6, legatorum § 7, legatorum § 8, captiui cuiusdam § 9. Dispositionem autem exempli (*Bello Punico quaedam ciuitates . . .*) haud ita solitam, cum nomina auctorum strategematon ipso principio exemplorum poni soleant, Woelfflinus[1]) bene defendit exemplo 2, 6, 1 (*Gallos . . . senatus censuit transuehendos*).

Exempla 1, 11, 11. 12. 13 eiecit Eduardus Woelfflin[2]), quod paene ad uerbum et seruato ordine ex Val. Max. 1, 2, 3. 3ª. 4 descripta esse diceret, quo fonte uti Frontinus non soleret; deinde quod ordo exemplorum 8—16 per Romana et externa distributorum eis turbaretur; tum quod subsequeretur adnotatio inepta *Hoc genere strategematon* . . . . ac nullo dubio aliena. Sed adnotatio item aliena interiecta est inter 1, 2, 6 et 1, 2, 7, quae exempla minime in suspicionem uocari possunt. Neque in sermone trium exemplorum quidquam inuenitur, quod ab usu auctoris abhorreat. Ordinem autem exemplorum turbari non concedo: totum enim genus strategematon in superstitionibus positorum (§ 8 — § 16) in duas diuisum est species, quarum altera deos ipsos inducit (§ 8 Pollux et Castor, § 9 Castor et Pollux, § 10 Dis pater), altera fraudes leuiores amplectitur (§ 11 signum Delphis sublatum, § 12 saga Syriaca, § 13 cerua candida, § 14 iecur inscriptum [§ 15 idem], § 16 arma ex templis subtracta). In utraque autem specie exempla Romana ante externa disponuntur (in priore: § 8 Aulus Postumius — § 9 Archidamus, § 10 Pericles; in posteriore: § 11 L. Sulla, § 12 C. Marius, § 13 Q. Sertorius — § 14 Alexander Macedo [§ 15 Sudines], § 16 Epaminondas). Atque cum opere Valerii Maximi etiamsi non tanta necessitudine cohaerent libri Frontini quanta liber quartus[3]), tamen non desunt exempla, quibus non minus quam exemplis 1, 11, 11. 12. 13 mirum in modum ambo inter se consentiant. Confer sis exempla

Front.	1, 8, 2	cum Val. Max.	7, 3, extr. 8.
	1, 11, 8		1, 8, 1
	1, 12, 8		8, 11, 1
	2, 11, 5		4, 3, 1,

Non leuis momenti est, quod exempla Woelfflino suspecta apud utrumque sese excipiunt:

Front.	1, 11, 11	coll. Val. Max.	1, 2, 3
	1, 11, 12		1, 2, 3ª
	1, 11, 13		1, 2, 4.

1) Hermes IX 74.
2) l. l. 80.
3) cf. Rhein. Mus. XV 578.

Sed seueritate paulo minore ordo apud utrumque seruatur in exemplis hisce:

Val. Max.		coll. Front.	
	7, 4, 1		2, 7, 1
	7, 4, 2		**1, 1, 4**
	7, 4, 3		3, 15, 1
	7, 4, 4		**1, 1, 9**
	7, 4, 5		**1, 1, 12**
	7, 4, ext. 2		2, 2, 7 2, 5, 27.

Vides totum Valerii caput 7, 4 strategemata continens, exemplum unum 7, 4, ext. 1 si exceperis, apud Frontinum uerbis haud ita diuersis, ordine etiam in quibusdam exemplis seruato inueniri. Nec facere possum, quin addam praefationem quoque Valerii 7, 4 *illa uero pars calliditatis egregia et ab omni reprehensione procul remota, cuius opera, quia appellatione Latina uix apte exprimi possunt, Graeca pronuntiatione strategemata dicantur* quodam modo conspirare cum uerbis Frontini (praef. I p. 1, 7): *sollertia ducum facta, quae a Graecis una* στρατηγημάτων *appellatione comprehensa sunt.*

Quae cum ita sint, cum vix casu factum sit, ut adeo illi inter sese consentirent, neque ob condicionem utriusque operis ac naturam diuersam sumere liceat, Valerio hunc sua debere, ex eisdem collectaneis utrumque cum in reliquis exemplis modo allatis tum in §§ 1, 11, 11—13 pendere suspicor. Nam a collectaneorum usu non abstinuisse Frontinum non ex condicione modo exemplorum quorundam uerum etiam ex eo apparet, quod non semel eorum mentionem fecit in praef. I (p. 1, 17): *ab auctoribus exemplorum quidquid insigne aliquo modo fuit traditum,* et mox (p. 2, 1): *hi qui notabilia excerpserunt, ipso uelut aceruo rerum confuderunt legentem,* et (p. 2, 18): *qui aliorum libros eadem promittentium legerint.*

Exemplum 3, 9, 3 Curtius Wachsmuth alienum putat, quod fusius, quam Frontinus soleat, narratum atque seruatis paene eisdem uerbis, nonnullis etiam male intellectis (*paucos centuriones . . . inmiscuerat, misit*) ex Sall. Iug. 93 sq. transcriptum sit. Idem exemplum 2, 5, 31, quod omnium uberrime relatum est, ob id ipsum censet alienum esse. Breuitatem quamquam auctor sectatus est, tamen praeter 3, 9, 3 et 2, 5, 31 alia quoque exempla exstant plerisque ampliora, uelut 2, 5, 30. 1, 1, 6. 1, 1, 9. 1, 1, 10. 2, 3, 16. 2, 3, 17, 2, 3, 22. 3, 16, 1. 3, 16, 3: quibus quia insignia quaedam strategemata continentur, auctor rem quamuis breuiter adstrictam solito latius explanauit. Eisdem uero uerbis, quae in fonte legebat, Frontinus saepissime utitur, ita ut argumentum inde contra exemplum 3, 9, 3 peti nequeat, praesertim cum in summo uerborum consensu inter Sallustium et Frontinum genus dicendi nullo modo ab huius consuetudine nec in § 3, 9, 3 nec in § 2, 5, 31 discrepet. Locum autem exempli 3, 9, 3, quem codices sic tradunt *paucos centuriones quibus perfectissimos cum uelocissimis militibus aeneatores inmiscuerat, misit capite*

pedibusque nudis ... quemque ita ex Sallustii uerbis male intellectis transcriptum esse Curtius Wachsmuth[1]) suspicatur, librariorum potius opera affectum ratus transpositis duobus uerbis sic sanandum esse duco: *paucos centuriones cum uelocissimis militibus, quibus perfectissimos aeneatores inmiscuerat, misit capite pedibusque nudis* .... Neque enim uerba, uti in codicibus collocata traduntur, correctorem olent neque ab eodem, qui totum exemplum haud incommode ex Sallustii narratione excudit, ita scripta esse possunt: transpositis uerbis structura exsistit concinna; sensus uero eorum, quae apud Frontinum leguntur, nihil a narratione Sallustiana mihi uidetur abhorrere. Atque milites, quamquam apud Sallustium Iug. 93, 8: *Itaque ex copia tubicinum et cornicinum numero quinque quam uelocissumos delegit et cum eis, praesidio qui forent, quattuor centuriones, omnisque Liguri parere iubet* in codicibus nunc quidem non commemorantur, interfuisse tamen expeditioni comparatis uerbis Iug. 94, 1 *Ceterum illi ... arma ornatumque mutauerant, ... super terga gladii et scuta, uerum ea Numidica ex coriis, ponderis gratia simul et obfensa quo leuius streperent* et Iug. 94, 2 *quibus adleuati milites facilius escenderent* luce clarius est. Significari eos l. l. 93, 8 uerbis *cum eis, praesidio qui forent* Henricus Jordan[2]) et Iohannes Wirz[3]) uolunt: sed tam obscure Sallustium dixisse uix credibile est et, quando quidem tubicines cornicinesque et centuriones disertis uerbis nominati sunt, militum nomen paene postulatur. Aliam ingressus uiam nouissimus editor[4]) pro uerbo *centuriones* scripsit *centurionatos:* quae mutatio ut uidetur simplex, ita non est conueniens; atque uox *centuriones* consensu omnium librorum et Sallustii et Frontini adeo confirmata est, ut omnino tuenda sit. Intercidisse uerba quaedam, quibus militum mentio fieret, acute perspexit Oudendorpius[5]): ei *militesque* post *quinque* supplenti Gustauus Linker[6]) accessit. Qui tamen cum uerbis *praesidio qui forent* (= welche das Commando führen sollten) ad *quattuor centuriones* relatis significationem uocis praesidii inauditam statuisset, Rudolfus Dietsch[7]) post uerba *praesidio qui forent* lacunam indicauit deperditaque ad uerba (uelut *paucos milites et*) illa rettulit. Sed propius ad ea, quae Sallustius scripsisse censendus est, nescio an accedere possis aduocato exemplo 3, 9, 3 Frontini. Is enim, quantum comparatis eis fontibus qui adhuc conseruati exstant iudicare licet, exempla ita excerpsit, ut

1) eandem suspicionem Oudendorpius (ed. Frontini alt. Lugd. Bat. 1779 p. 394 adn. 17) habuit.
2) ed. alt. Berolini 1876.
3) ed. septima 1881.
4) ed., quam curauit A. Eussner. Lipsiae 1887.
5) ed. Frontini alt. Lugd. Bat. 1779 p. 394 adn. 17.
6) Sitzungsber. der K. Akad. der Wissensch. (phil.-hist. Cl.) Wien 1854. XIII 279.
7) ed. min. quarta Lipsiae 1870. — in ed. mai. (Lipsiae 1859) I 27 lacunam uerbis *paucos milites et* suppleuerat.

uerba quidem scriptorum contraheret, uariaret, commutaret, rem ipsam summa cum fide referret ac nihil adderet, quod non in fonte inuenisset. Atque cum saepe eisdem uerbis, quae in fonte leguntur, utitur, tum hoc exemplum permultis retentis uocibus Sallustianis excerpsit: cf. Front. *castellum in monte saxeo situm, quod una et angusta semita adibatur, cetera parte uelut consulto praecipiti* = Sall. Iug. 92, 5 *erat inter ceteram planitiem mons saxeus, mediocri castello satis patens, in immensum editus, uno perangusto aditu relicto: nam omnis a natura uelut opere atque consulto praeceps* — Front. *per Ligurem quendam ex auxiliis gregalem militem* = Sall. 93, 2 *quidam Ligus, ex cohortibus auxiliariis miles gregarius* — Front. *qui forte aquatum progressus* = Sall. 93, 2 *castris aquatum egressus* — Front. *capite pedibusque nudis, ut prospectus nisusque per saxa facilior foret, scutis gladiisque tergo aptatis* = Sall. 94, 1 *capite atque pedibus nudis, uti prospectus nisusque per saxa facilius foret: super terga gladii et scuta* — Front. *hi Ligure ducente loris et clauis*[1]) *quibus in ascensu nitebantur adiuti* = Sall. 94, 2 *Igitur praegrediens Ligus saxa et si quae uetustae radices eminebant laqueis uinciebat, quibus adleuati milites facilius escenderent.* Iam cum Frontinus perfectissimos aeneatores et uelocissimos milites, qua re nihil est probabilius, cum Ligure missos dicat, etiam peridoneum illud *perfectissimos* eum non finxisse, sed in Sallustii libro tum integro legisse existimo. Quam ob rem uexatus ille locus Sallustii (Iug. 93, 8) sic fere emendandus uidetur:

> *Itaque ex copia tubicinum et cornicinum numero quinque ⟨quam perfectissumos, ex militibus numero * * * *⟩ quam uelocissumos delegit et cum eis, praesidio qui forent, quattuor centuriones .....*

Archetypum igitur codicum Sallustianorum qui exarauit, a priore *quam* ad posterius oculis aberrans media uerba omisit. Ad *milites* autem ita memoratos uerba *cum eis, praesidio qui forent* referuntur (cf. Iug. 28, 1 *filium et cum eo duos familiaris . . . mittit;* Iug. 91, 4 *omnem equitatum et cum eis uelocissumos pedites cursu tendere ad Capsam . . . iubet*). Etiamsi omnes Liguri parere Marius iusserat (Iug. 93, 8), centurionum tamen erat curare, id ipsum ut fieret in ascensu et ad castellum, cum peruenissent, milites ex toto exercitu delecti ut certo imperio regerentur et pro re agerent. Numerus militum pariter atque aeneatorum et centurionum quin appellatus fuerit, non dubium est. Exiguum eum fuisse, suffecisse tamen et ad tutandos aeneatores et ad perterrendos castellanos per se patet: aequasse eum fere quattuor centurias ex numero quattuor centurionum uereor ne auda-

---

1) *Clauae* ab hoc nominantur, quae *uetustae radices* ab illo: pro *clauis* cur Gustauus Linker *laqueis* coniecerit, non assequor.

cius conicias. Certum igitur numerum militum unde restituamus quia non superest, uana coniectura supersedens lacunam indicaui.

4, 1, 14 *Pyrrhus . . . primus totum exercitum sub eodem uallo continere instituit. Romani deinde . . . castris eius potiti et ordinatione notata paulatim ad hanc usque metationem . . . peruenerunt* fabulas[1]) de metatione castrorum a Frontino, uiro rei militaris peritissimo (cf. praef. I: *Cum ad instruendam rei militaris scientiam unus ex numero studiosorum eius accesserim eique destinato, quantum cura nostra ualuit, satisfecisse uisus sim . . .*), proferri non potuisse nouumque ex eo repeti indicium alienae originis libri quarti recte monet Curtius Wachsmuth. Minus recte tamen etiam a Pseudofrontino hoc exemplum abiudicauit, quod in capite *de disciplina* eius locus esset nullus. Disciplinae enim exemplum nescio an id haberi possit eodem iure quo exempla 4, 1, 3. 4. 5. 7: atque ut exemplis 4, 1, 6. 7 de disciplina in itinere exercenda agitur, ita exemplis 4, 1, 11. 12. 14. 15 uidetur illustrari, quomodo disciplina regatur in castris. Neque hoc exemplum propterea in suspicionem cadit, quod auctor sibi ipse obloquitur, cum in exemplo 4, 1, 18 uallo castra Romana iam ante pugnam apud Maluentum commissam communita esse uerbis *omnibus extra uallum iussis tendere* aperte doceat. Nam in exemplo 4, 1, 14 eum non suum proferre iudicium, sed auctoris nescio cuius manifestum est coll. Liu. 35, 14: *quaerenti deinde* (i. e. Scipioni), *quem secundum poneret, Pyrrhum dixisse* (i. e. Hannibalem) *castra metari primum docuisse.* Non autem perpensa fontium auctoritate nec uarietate homo iste hebes cum narratiunculas undique congereret, in uno capite comprehensas rettulit res inter se diuersissimas.

Quoniam exposui, quae exempla aliena essent, nunc de adnotationibus quibusdam ad genuina exempla adiunctis agam. Atque 1, 2, 6 uerba *Est et aliud explorandi genus, quo ipsi duces nullo extrinsecus adiutorio per se prouident, sicut* transitionem esse ab aliquo in margine notatam, a librariis curiosis postea inter exempla receptam, neminem puto fore, quin concedat eamque cum Oudendorpio reiciat. — Ab eodem, fortasse ludi magistro, nugae intermixtae sunt 1, 11, 13: *Hoc genere strategematon non tantum ea parte utendum est, qua inperitos existimabimus esse, apud quos his utemur, sed multo magis ea, qua talia erunt, quae excogitabuntur, ut a diis monstrata credantur,* quibus iam Stewechius Frontinum purgauit. Nam non sermo solum uerbosus et inconditus longe distat ab illius breuitate ac subtilitate, sed ipsa res inepta et superuacanea est: idem enim breuius et elegantius Frontinus modo dixerat 1, 11, 13 uerbis *cum barbaro et rationis indocili milite uteretur.* Haec tamen homini loquaci tam-

1) cf. Plut. Pyrrh. 16: πυθόμενος δὲ τοὺς Ῥωμαίους ἐγγὺς εἶναι καὶ πέραν τοῦ Κίριος ποταμοῦ καταστρατοπεδεύειν προσίππευσε τῷ ποταμῷ θέας ἕνεκα· καὶ κατιδὼν τάξιν τε καὶ φυλακὰς καὶ . . . τὸ σχῆμα τῆς στρατοπεδείας ἐθαύμασε . . . τάξεις μέν, εἶπεν, . . , αὕτη τῶν βαρβάρων οὐ βάρβαρος . . . — cf. Lipsius, de militia Rom. 5, 1.

quam ansam dedisse ad fundendas istas ineptias non iniuria conicere mihi uideor.

Item aliena, sed melioris notae et a lectore minus rudi, puto, adnotata uerba sunt 2, 3, 7: *ueterano et diu edocto usus exercitu: hoc enim genus ordinationis exsequi nisi peritus et ad omne momentum respondens miles uix potest.* Etenim quibus condicionibus (*ueterano et diu edocto usus exercitu*) nixa sint strategemata, initio statim exemplorum explanari solet, uelut 1, 11, 13: *Q. Sertorius, cum barbaro et rationis indocili milite uteretur* . . . 2, 1, 9: *Philippus* . . . . *memor sibi esse militem longo usu duratum, Atheniensibus acrem quidem, sed inexercitatum et in impetu tantum uiolentum* . . . 2, 3, 13: *Gastron* . . ., *cum* . . . *sciret firmiorem esse Graecum militem magisque a Persis timeri* . . . Accedit quod Liuius 22, 47, unde hoc exemplum fluxit, ne uerbo quidem uirtutes exercitus Punici tangit, Frontinus autem rem augere non solet (cf. supra p. 339). Grauissimum uero est, quod dispositio exempli 2, 3, 7 turbatur: nam unum quodque exemplum docet, in extrema semper narratione quid effectum sit strategemate a Frontino exponi, ut euentu ipso tamquam agmen claudatur. Commodior autem exitus quam ille *hostem* . . . *ex utraque parte compressum cecidit* cum uix reperiatur, uerba quae subsequuntur eicienda sunt.

Similiter exitus exemplorum 2, 5, 31 et 2, 5, 34 alienis uerbis additis obscurari mihi uidentur. Illud enim aptissime sic concluditur: *ita praeter duplex damnum, eadem sollertia inlatum, spectatorem quoque cum cladis suorum continuit;* in hoc, etiamsi uerbis *subito acies Romana adaperta cum clamore procurrit* non ipsa caedes hostium narratur, uti in exemplis uel plurimis, tamen Frontinum non contra morem, quo modo conseruerint inter se manus, describere, de exitu pugnae tacere, exempla ostendunt uelut 2, 5, 38: *inordinatos est adortus* 2, 5, 25: *castra eius inuasit* 2, 5, 15: *Erythraeos ... in insidias euocauit.* Immerito igitur Woelfflinus[1]) tuetur uerba, quae sinceram conclusionem sequuntur 2, 5, 31: *hoc primum proelium inter Sertorium et Pompeium fuit: X milia hominum de Pompei exercitu amissa et omnia impedimenta Liuius auctor est* et 2, 5, 34: *XXXV milia armatorum eo proelio interfecta cum ipsis ducibus Liuius tradit, receptas quinque Romanas aquilas, signa sex et XX, multa spolia, inter quae quinque fasces cum securibus.*

Quibus in uerbis ipsa descriptio, quot milia hominum interfecta sint, quot receptae aquilae, signa, spolia, excitat suspicionem: neque enim haec auctor accurate enumerare solet, unum si exceperis exemplum 2, 3, 21: *XL milia utrimque fuisse constat: Pyrrhi dimidia pars exercitus amissa, apud Romanos V milia desiderata sunt.* Sed ibi quot milia utrimque fuerint, quot desiderata sint, cum exponatur, egregie illustratur, cuius partis ordinatio fuerit melior: et profecto truncares exemplum, si ista uerba abscideres. Maxime uero offen-

1) Hermes IX 87.

dit, quod utrubique Liuius laudatur. Hoc quidem parum constat, sintne ex libris Liuii an Sallustii ipsa exempla 2, 5, 31 et 2, 5, 34 excerpta.[1]) Sed praeter illum in tanto exemplorum numero nemo scriptorum nomine appellatur — aliter enim res se habet, quod Pyrrhus citatur 2, 6, 10 *Idem inter praecepta imperatoria memoriae tradidit* — neque is, quamuis multa auctor ei debuerit exempla, nisi his locis nominatur. Et recte quidem: Frontinus enim commentarios (cf. praef. I p. 1, 10 sq.) in usum conscribebat ducum: eorum quid intererat nosse, quis res gestas tradidisset, cum solum consilii et prouidentiae exempla amplecti studerent? Scriptoris nomen appellari consentaneum est, ubi rem alius aliter tradat: sed Liuianae memoriae alia non opponitur; atque etiam 1, 5, 15: *Idem fecit sub Atilio Calatino consule is cuius uarie traditur nomen: alii Laberium, nonnulli Q. Caedicium, plurimi Calpurnium Flammam uocitatum scripserunt* nomina scriptorum Frontinus laudare supersedit.

Quae cum ita sint, non debet dubitari, quin ista uerba, quae in extremis exemplis 2, 5, 31 et 2, 5, 34 inueniuntur, adnotata sint a lectore, qui Liuii uolumina euoluerat, ut fusius ibi descriptas legeret memorabiles Sertorii et Crassi uictorias. Nam ex Liuianis libris tum integris sumpta ea esse non est cur neges, comparatis uerbis Front. 2, 5, 34 *XXXV milia armatorum eo proelio interfecta cum ipsis ducibus Liuius tradit, . . .* cum Liu. epit. 97: *M. Crassus praetor primum cum parte fugitiuorum, quae ex Gallis Germanisque constabat, feliciter pugnauit, caesis hostium triginta quinque milibus et duce eorum Gannico.*

Idem homo historiarum curiosus in exemplo 2, 9, 2 ad uocem *luctu* additis uerbis *nam frater occisus erat* auctoris narrationem perbreuem ac paene obscuram auxit atque explicauit. Parenthesis enim, quae ita efficitur, apud Frontinum nisi hoc loco non occurrit nec sermoni eius breui ac simplici conuenit. Quod docti librarii recentioris aetatis cum intellexissent, correxerunt *fratris occisi:* penitus rem Oudendorpius perspexit, cum parenthesin deleret.

In exemplo 4, 5, 14 uerba *hunc quidam non C. Caelium, sed Laelium fuisse et Laelios, non Caelios perisse credunt* eieci, quia Pseudofrontinus similiter ac Frontinus commodae exemplorum conclusioni studet in ipso euentu positae, quae quidem exstat his in uerbis: *nostro exercitu uincente ipse cum quattuordecim Aeliis ex eadem familia in proelio est occisus.* Ista tamen uerba lectorem potius olent, qui in uolumine auctoris nescio cuius legerat accidisse id Laelio (quod uidelicet corrigendum erat *L. Aelio*): unde perspicuo ille errore finxit *Laelios,* sicut ex nomine *C. Aeli* male scripto aut lecto excudit *Caelios.* Quis auctorum praenomen *L.* tradiderit, non liquet: praenomen omnino non agnoscunt Valerius Maximus 5, 6, 4 et Plinius nat. hist. 10, 18, 41; Varro autem de uita p. R. 3, 3 (ed. H. Kettner, p. 34

1) Hermes IX 83.

= Nonius 518, 30) exhibet *P. Aelius* (*Pelius* codd.). Fuisse tamen in antiquo exemplari alicuius auctoris etiam *L.* praenomen certissimum est. In eadem adnotatione praenomen *C.* (male *Claudium* codex *G* exhibet) utrum ab eodem lectore scriptum sit an librariorum cura ortum, dubitatio relinquitur.

Contra 2, 6, 10 extrema uerba *non usque ad perniciem fugientibus instaturos uictores* iniuria Oudendorpius suspecta habuit, tamquam lemma opinatus in margine ea adscripta, deinde in exemplum recepta esse: nam exigitur causa, qua cur postea quoque facilius ex acie hostis cessurus sit exponatur.

Uerba exempli 2, 3, 21 *secundum Homericum uersum, quo pessimi in medium recipiuntur* in suspicionem caue uoces, quamuis alia eiusdem generis apud Frontinum non inueniantur et longius uideantur ab eius siccitate distare: his enim cum uerbis ipsam uim exempli exstingueres. Atque uersus Homerici cum saepe (cf. Dionys. Hal. 20, 6 de eodem Pyrrho. — Aristoph. ran. 1034. Polyb. 15, 12, 9. 18, 29, 6. Aelian. tact. praef. 1 et I, 1—2. Polyaen. I prooem.) quasi testimonia de re militari afferuntur, tum uersus Il. 4, 299 sq.

Κακοὺς δ' ἐς μέσσον ἔλασσεν,
ὄφρα καὶ οὐκ ἐθέλων τις ἀναγκαίῃ πολεμίζοι

uidentur in prouerbium cessisse: quos ut Frontinus significat, ita Ammianus Marc. 24, 6, 9: *Hinc imperator cateruis peditum infirmis medium inter acies spatium secundum Homericam dispositionem praestituit, ne locati priores cedentesque deformiter cunctos auerterent secum aut postsignani pone omnes reiecti centurias, nullo retinente licentius uerterent terga.*

Itaque non solum noua strategemata adiecta sunt, sed genuina quoque exempla uario modo aucta. Neque id mirandum est, si quidem ad suggerendum, quod quis inuenerit, et indoles operis ac natura inducit et ipse auctor inuitauit (cf. supra p. 335). A quibus uero ea quando intermixta sint, parum constat: fuerunt certe iam in archetypo codicum, quippe quibus pariter omnia tradantur; postea tamen accesserunt quam quartus liber cum tribus libris Frontini coniunctus est, quia is eodem modo auctus est quo libri priores.

Caput IV.

De erroribus.

Nonnulla exempla ita narrari, ut, cum strategemata uniuersa cum memoria ceterorum scriptorum congruant, tamen uel singulae quaedam res gestae uel nomina eorum qui gesserint magis minusue discrepent, iam pridem uiri docti cognouerunt. Corrupta ea esse neglegentia, ignorantia, stultitia pessimorum librariorum superiores editores cum sibi persuasissent, plurima corrigere uariis artibus

studuerunt, pauca reliquerunt intacta, quae infuscata crederent indiligentia auctoris. At differentiae tam frequentes sunt tamque graues, ut eas omnes deberi errori auctoris aut librariorum a ueri specie prorsus abhorreat. Altera igitur uia non semel ineunda uidetur, ut ad ipsos fontes, ex quibus auctor hauserit, progressi inuestigemus, fueritne earum rerum memoria iam ante aetatem Frontini diuersa. Quae autem tribuenda sint librariis, quae auctori, quae fontibus, ut diiudicari possit, perpendendae condiciones sunt singulorum exemplorum et comparandae, quantum licet, res ab aliis scriptoribus relatae. Omnia tamen exempla, quae a ceterorum narratione dissentiant, enumerare et perscrutari cum longum sit, ea tantum eligam, quae maxime uidentur uexata: prius autem de eis agam, in quibus diuersitas rerum, deinde de eis, in quibus diuersitas nominum reprehenditur.

Atque exemplo 3, 17, 6 C. Caesar in Gallia metum simulasse militesque in castris tenuisse traditur, quo facilius Gallos ad contemptionem sui inlectos eruptione facta caederet. Cui consilio contrarium esse quod in codicibus legitur: *militesque in castris, quae ampliora solito industria fecerat, tenuit* cum res ipsa docet, tum uerbis confirmatur Caesaris b. G. 5, 49, 7 *castra communit atque haec, etsi erant exigua per se .... tamen angustiis uiarum, quam maxime potest, contrahit,* unde hoc exemplum depromptum est. Qui locus quin corruptus sit incuria librarii et emendatus felicissima Stewechii coniectura *artiora,* nulla est dubitatio.

In pugna apud Cannas commissa sescentos equites Numidas tamquam transfugas a Romanis receptos terga eorum cecidisse Frontinus 2, 5, 27 narrat, quingentos Liuius 22, 48, 2 atque Appianus Hann. 20. 22. 23, quadringentos Valerius Maximus 7, 4, ext. 2. Numerum autem sescentorum errore ortum esse Frontini, qui Numidas cum sescentis equitibus aduersus Iunium dictatorem missis (§ 2, 5, 25) commutauerit, coniectura est Woelfflini[1]) parum probabilis. Facilius diuersitatem solito mendo ortam accipies, ut in uerbis *DCEQUITES* maiuscula scriptura continua exaratis littera *C* geminatione insequentis litterae *E* nata sit. Profecto, cum ex Liuii loco laudato haud dubie hoc exemplum excerptum sit, apud utrumque ut idem legatur numerus, exspectatur: nisi forte sumis exemplar Liuii, quod Frontinus euoluisset, mendosum fuisse. — Similiter, sed ut non adderet, uerum omitteret numeri notam librarius, puto illud factum esse, quod Frontinus 2, 13, 9, quamuis cum ceteris scriptoribus consentiat, tamen minorem numerum nauium praebet: hic enim P. Claudium per hostium praesidia erupisse tradit cum XX nauibus, cum XXX uero nauibus Polybius 1, 51, 11, Eutropius 2, 26, Orosius 4, 10, 3. Longe aliter de ea clade Diodorus 24, 1 refert, quocum hic non facit.

1) Hermes IX 84.

In exemplo 4, 5, 7 *de cunctantibus XII omnino equitibus, L peditibus qui comitari sustinerent repertis, incolumes Canusium peruenerunt* numerus eorum, qui post cladem Cannensem ex minoribus castris Canusium perfugerunt, ualde differt ab eo, quem Liuius 22, 50, 11 tradit: *in maiora castra ad DC euaserunt, atque inde protinus alio magno agmine adiuncto Canusium incolumes perueniunt.* Unde Rubenius et Eussner numerum DC etiam apud Pseudofrontinum latere coniecerunt. Et dubitare potes, an ita scribendum sit, quia in priore parte exempli 4, 5, 7 non res tantum plane cum Liuii narratione congruit, sed etiam uerba quaedam concinunt: cf. Pseudofront. *stringerent gladios et per hostium praesidia erumperent secum, id sibi animi esse, etiamsi nemini ad erumpendum audacia fuisset, adfirmantes* cum Liu. 22, 50, 8 *per hos, qui inordinati atque inconpositi obstrepunt portis, erumpamus. ferro atque audacia uia fit quamuis per confertos hostis; ... itaque ite mecum ... haec ubi dicta dedit, stringit gladium.* At pendere hunc ex illo quominus efficiamus uel id obstat, quod apud Liuium 22, 50, 6 *P. Sempronius Tuditanus tribunus militum,* apud hunc *Sempronius Tuditanus et Cn. Octauius tribuni militum* commilitones eduxisse feruntur neque suspicio est nomen Cn. Octaui ab hoc fictum esse. Etiam posterioris partis uerba *incolumes Canusium peruenerunt* miro modo concinunt cum Liu. 22, 50, 11 *Canusium incolumes perueniunt,* cum tamen nec numerus erumpentium par sit nec maiorum mentio fiat castrorum, uti apud Liuium 22, 50, 4. 11. De hoc strategemate Polybius (3, 117, 8—11) omnino tacet; Appianus (Hann. 26, coll. 24) uero, qui et ipse narrat P. Sempronium erumpentibus ducem fuisse, sed eorum tantum qui in maioribus castris fuissent, decem fere milia Canusium perfugisse dicit: quo numero fortasse eos simul comprehendit, quos numero quattuor milia ducentos postero die ex maioribus castris Canusium perfugisse Liuius 22, 52, 4 refert. Nec plus ex eo colligitur, quod Liuius 22, 52, 1—3 et Appianus l. l. de minoribus castris postero die captis narrant. Sed despero narrationem Pseudofrontini omnino corrigi posse, ut cum his testimoniis aliisue, si quae sint, aliquo modo consentiat. Immo diuersitas ita nata esse mihi uidetur, ut aliquis auctor numerum erumpentium ex minoribus castris confuderit cum eis, qui fugientem consulem C. Terentium Varronem secuti sunt. Cum eo Venusiam fugisse quinquaginta fere equites Liuius (22, 49, 14. 50, 3), septuaginta equites Polybius (3, 116, 13. 117, 2) tradit: neque nomina oppidorum neque genera militum eadem sunt, sed numerus suppar est. Idem Varronis comites intellegi uidentur apud Appianum Hann. 24 extr. ὀλίγοι δ' ἐς Κανύσιον διέδραμαν[1]), quoniam et eodem ordine quo apud Liuium 22, 49, 13—14 post eos, qui Cannas

1) cf. Polyb. 3, 116, 13 ὀλίγοι δέ τινες εἰς Οὐενουσίαν διέφυγον, ἐν οἷς ἦν καὶ Γάιος Τερέντιος ὁ τῶν Ῥωμαίων στρατηγός.

fugerant, hi enumerati sunt et Semproni comites infra (cap. 26) memorantur. Ibidem Canusium, non Venusia quod legatur nunc mitto. Id unum moneo, nomen huius oppidi, si Canusium non Sempronium modo uerum etiam Varronem consulem fugisse scriptores quidam tradiderint, ansam fortasse auctori uel ei, quem secutus est, dedisse ad confundendum numerum comitum.

Acies Punica et Romana quomodo ordinatae sint in pugna apud Zamam commissa, Frontinus 2, 3, 16 ita describit, ut hoc uno a Polybio (15, 9. 11) et Liuio (30, 33) dissentiat, quod Laelium dextro cornu Romanis equitibus, sinistro Numidis Masinissam praepositum a Scipione dicit, illi contra Laelium in sinistro, in dextro Masinissam fuisse ferunt. Atque cum Frontino Appianus (Pun. 41) ita consentit, ut dextrum cornu Laelio datum esse et ipse dicat. Sed is, cum ab altero cornu Octauium oppositum esse dicat (non Masinissam, ut cum Frontino consentientes Polybius, Liuius, Zonaras (9, 14) perhibent), et quomodo equites Numidae et Romani dispositi fuerint, longe aliter narret, casu uidetur in illa re cum Frontino conspirare. Hic autem cur in hac una re a Liuio dissentiat, tanto magis mirandum est, quanto maior consensus exstat in reliqua narratione, ut uel ex altera eius parte intellegitur

Front. 2, 3, 16: *Scipio aduersus hanc formam robur legionis triplici acie in fronte ordinatum per hastatos et principes et triarios opposuit: nec continuas construxit cohortes, sed manipulis inter se distantibus spatium dedit, per quod elephanti ab hostibus acti facile transmitti sine perturbatione ordinum possent. ea ipsa interualla expeditis uelitibus inpleuit, ne interluceret acies, dato his praecepto, ut ad impetum elephantorum uel retro uel in latera concederent. equitatum deinde in cornua diuisit et dextro Romanis equitibus Laelium, sinistro Numidis Masinissam praeposuit.*

Liuius 30, 32 extr.: *instruit* (i. e. Scipio) *deinde primos hastatos, post eos principes, triariis postremam aciem clausit. non confertas autem cohortes ante sua quamque signa instruebat, sed manipulos aliquantum inter se distantes, ut esset spatium qua elephanti hostium acti nihil ordines turbarent. Laelium ..... cum Italico equitatu ab sinistro cornu, Masinissam Numidasque ab dextro opposuit. uias patentes inter manipulos antesignanorum uelitibus ... compleuit, dato praecepto, ut ad impetum elephantorum aut post directos refugerent ordines, aut in dextram laeuamque discursu applicantes se antesignanis uiam, qua irruerent in ancipitia tela, beluis darent.*

Vides hanc exempli partem ex Liuio ita excerptam esse, ut etiam uerba haud semel eadem retinerentur. Quam ob causam non haesitabis, quin a Frontino commutata cornua esse concedas.

Exemplo 2, 7, 11 *Cn. Manlius aduersus Etruscos uulnerato collega M. Fabio, qui sinistrum cornu ducebat, ... cum turmis equitum occurrit, clamitans et collegam uiuere et se dextro cornu uicisse* strate-

gema a Cn. Manlio adhibitum esse Frontinus tradit, quod a M. Fabio Dionysius (9, 11) et Liuius (2, 46—47). Id cum petulantia librarii perturbatum esse Andreas Dederich sat infeliciter coniecisset, infelicius sanare temptauit sic: *M. Fabius aduersus Etruscos uulnerato collega Cn. Manlio, qui:* qua mutatione nihil est ineptius, quia ne sic quidem omnis diuersitas tollitur. Consideratius re iudicata Petrus Wesseling et Oudendorpius, cum ipsum auctorem errasse sibi persuasissent, nihil mutandum censuerunt. Quorum sententiae bene fauet, quod in nominibus errari facilius potuit propter duos Fabios eo proelio insignes. Nam Dionysius et Liuius haec fere narrant: M. Fabius consul, qui mediae aciei praeerat, in sinistrum cornu, quod Quintus Fabius frater (πρεσβευτὴς καὶ ἀντιστράτηγος ὢν, ὁ δὶς ὑπατεύσας Dionysius l. l.) ducebat, transiluit, ut uulnerato Q. Fabio cedentem aciem restitueret; deinde cum uulnerato Manlio collega dextrum cornu item cedere audisset, ei quoque parti succurrit. — Cum his igitur paulo melius conueniret narratio Frontini, si Quintus Fabius significaretur uerbis *Fabio qui sinistrum cornu ducebat.* Sed ex uestigiis codicis Harleiani (*collegam fabio*) praenomen *M.* restituendum est atque M. Fabius manifeste appellatur collega et consul; nec simpliciter commutata nomina consulum sunt, sed partes omnino inuersae, quod facillime ex hoc indice cognoscetur:

I) Dionysius et Liuius: Cn. Manlius consul dextrum cornu ducit. — M. Fabius consul mediae aciei praeest, sed in sinistrum cornu, quod Q. Fabius ducit, ubi is uulneratus est, transiluit.
Frontinus: Cn. Manlius consul dextrum cornu ducit. — M. Fabius consul sinistrum cornu ducit.

II) Dionysius et Liuius: Cn. Manlius consul in dextro cornu uulneratur.
Frontinus: M. Fabius consul in sinistro cornu uulneratur.

III) Dionysius et Liuius: M. Fabius consul a sinistro cornu in dextrum uulnerato collegae succurrit.
Frontinus: Cn. Manlius consul a dextro cornu in sinistrum uulnerato collegae succurrit.

In eo quod primum apposui diuersitas fere nulla inest, quia M. Fabium consulem prius in media acie fuisse ac postea demum sinistrum cornu duxisse breuitati studens Frontinus fortasse memorare noluit. Reliquorum diuersitas non effecta uidetur nisi errore: quem a commutatis duobus Fabiis profectum esse admodum probabile est. Commiserit eum ipse Frontinus an is, cuius ille libros excerpsit, anceps haereo. Certe neque a Dionysio neque a Liuio hoc exemplum pendet: hic enim (2, 47, 1—3 *in cornu altero* ...) parum distincte cornua significat, ille strategema ipsum (*clamitans et collegam uiuere et se dextro cornu uicisse*) praetermittit. Ad idem proelium eosdemque consules pertinent exempla 1, 11, 1 et 2, 6, 7:

quae, cum a Liuiana narratione nihil discrepent, ea ex Liuio sumpta esse, hoc (2, 7, 11) ex diuerso fonte fluxisse dicere potes; si uero mauis tria exempla ex uno opere excerpta esse, ipse Frontinus in exemplo 2, 7, 11 partes consulum commutasse arguitur.

Exemplo 3, 4, 1 Fabius Maximus strategemate ad famem redactis Campanis potitus esse traditur: contra Polybius (9, 3—7) et Liuius (26, 1—16) captam Capuam ferunt tribus annis post (211 a. Chr.) a prioris anni consulibus Fuluio Flacco et Appio Claudio. Ipsum strategema paulo aliter Liuius 23, 48, 1—2 narrat. Perturbationem a librariis factam Oudendorpius suspicatus uerba *et ad famem redactis potitus est* insequenti exemplo adiunxit, ut exemplum 3, 4, 2 legeretur sic: *Antigonus aduersus Athenienses idem fecit et ad famem redactis potitus est.* Ita quamquam narratio cum rebus ab Antigono gestis conuenit (cf. Polyaen. 4, 6, 20. Droysen, Gesch. des Hellenism. III^2 1, 244 Anm. 3), tamen exemplum euadit a solita specie (cf. supra p. 331) prorsus abhorrens; exemplum uero 3, 4, 1 detractis istis uerbis percommoda caret conclusione, qua euentus proponi solet (cf. supra p. 342). Seruanda igitur huic exemplo clausula uidetur, non tamen afficta a Frontino (cf. p. 339), sed transcripta potius cum ipso exemplo ex uili corpore narratiuncularum.

In exemplo 2, 2, 7: *Idem apud Cannas, cum comperisset Volturnum amnem ultra reliquorum naturam fluminum ingentis auras mane proflare, quae arenarum et pulueris uertices agerent, sic direxit aciem* ... errorem latere iam pridem uiri docti animaduerterunt. Corrigere eum primus, ut uidetur, Paulus suscepit, cum Eutropi libris praeter alia[1]) hoc quoque exemplum inserens pro *Volturnum* scriberet *Aufidum.* Hoc tamen uel eo improbatur, quod nulla ratione assequeris, quo modo uox *Aufidum* ita corrumpi aut uox *Volturnum* pro illa substitui potuerit. Neque id coniectura commendatur Oudendorpiana *Volturn⟨o Aufid⟩um,* quae inepta per se est. Aliam ingressus uiam emendandi Cluuerius proposuit *Volturnum uentum ultra reliquorum naturam flaminum ingentis auras mane proflare:* quod quamuis ingeniose excogitatum nimis poetice dictum est; et ad naturam fluminum, non uentorum haec uerba spectant: cf. Liu. 21, 54, 8 *et quidquid aurae fluminis* (sc. Trebiae) *adpropinquabant, adflabat acrior frigoris uis.* Sed emendari exemplum non opus est, quia omnino non corruptum, sed ab auctore sic scriptum mihi uidetur, ut codicibus nunc traditur. Ventus igitur Volturnus, quem uehementer Romanis obfuisse Liuius (22, 43, 10 *Hannibal castra posuerat auersa a Volturno uento* sq.) aliique[2]) ferunt, cum flumine Volturno commutatus est ab eo, quem auctor secutus est. Hoc eo facilius accidere potuit, quod nomen Volturni uenti minus uidetur notum[3]) fuisse (Liu. 22, 46, 9 *uentus — Volturnum regionis*

1) cf. ed. Frontini (1888) praef. § 7.
2) cf. l. l. p. 147.
3) cf. Nissen, Ital. Landeskunde I 389—390.

incolae uocant — aduersus Romanis), cum nomen Volturni maximi fluminis Italiae inferioris satis inter omnes peruulgatum fuerit. Commissum a Frontino errorem esse nego, quia uentus et amnis eodem nomine appellati non simpliciter commutantur, sed uis uenti orta creditur natura fluminis: quam explicationem haud indoctam ille, nisi in fonte legisset, certo non adiecisset, cum ne in reliquis quidem exemplis narrationem fontis augere soleat (cf. supra p. 339). Ipse igitur quamquam haec non confudit, iure tamen, quia ea recepit, sicut inuenerat, si non inscitiae, certe credulitatis incuriaeque eum argues.

Exempli 3, 9, 2 summa haec est: Fabius apud Arpos obscura nocte sescentos milites misit, qui per oppidi partem minus frequentem scalis euecti in murum portas reuellerent: ipse dato signo ab alia parte adgressus cepit Arpos. Res igitur per se non incerta uidetur. Comparata tamen Liuiana narratione (24, 46 *eam portam scalis prius transgressos murum aperire ex interiore parte aut claustra refringere iubet ..... ac paulo ante lucem per effractam portam urbem ingreditur*) Oudendorpius offendit in uerbis *ab alia parte,* cum diceret 'cui ergo bono ab interiore parte portam illam, qua adscenderant, reuellere debuerunt?' Cum illis autem ut haec concinant, ne correctionibus quidem quas proposuit efficitur: nam *ea* pro *alia* si scripseris, uerba *ab ea parte* satis languida atque superuacanea sunt; et *auulsa porta ingressus,* quod idem proposuit, a traditis litteris nimis recedit neque propter uerba *dato signo* admitti potest. Conuenire uidetur, de quo ipse cogitaui: *ipse dato signo ab alia parte ⟨quam exspectabatur⟩ adgressus:* ita exemplum et congrueret cum Liuio nec consilio huius capitis non responderet (*de inruptione ex diuersa parte quam exspectabimur;* § 1: *Scipio .... qua non exspectabatur, inrupit;* cf. §§ 6. 8. 9). Sed quamuis in multis ita consentiant Liuius et Frontinus (Liuius: *contemplatus ex propinquo situm urbis moeniaque* — Frontinus: *considerato situ urbis;* Liuius: *infrequenti uia per desertam partem urbis* — Frontinus: *per munitam eoque minus frequentem oppidi partem*), ut hic ex illo pendere uideatur, tamen alia dubitationem adferunt. Huius enim uerba interpretari potes sic: portis refractis sescenti milites oppidanos a tergo perterruerunt, ab alia parte, a fronte scilicet, Fabius Arpos adgressus est: quale strategema est Marii exemplo insequenti (3, 9, 3) narratum. Quae interpretatio si uera est, in hoc exemplo memoria cernitur a Liuio paulum diuersa: longe autem aliter haec refert Appianus Hann. 31. Certe parum probabiliter Liuius tradit per cornicines in uia paribus interuallis dispositos consulem excitatum esse, ut signa efferri iuberet urbemque per effractam portam ingrederetur. Nonne cornicines ut consulem ita Arpinos exciuerunt, ut exiguo numero ingressorum, antequam consul cum copiis accedere posset, summum periculum conflarent?

Strategema 2, 4, 5 Frontinus a C. Sulpicio Petico consule,

Liuius (7, 14—15) ab eodem dictatore contra Gallos adhibitum refert. Atque dictator is fuit C. Fabio C. Plautio consulibus (cf. Liu. 7, 12, 6), anno igitur 358 a. Chr. Consul autem primum fuit anno 364 (cf. Liu. 7, 2), quo contra Gallos non pugnatum est; consul iterum anno 361 (cf. Liu. 7, 9), quo cum Gallis bellum gerebatur a Quinctio Penno dictatore: huic bello Sulpicius quoque consul interfuerit necne, Liuius non refert; sed facile fieri potuit, ut scriptorum alii hoc strategema priore bello Gallico gestum a Sulpicio consule (a. 361), alii tribus annis post (a. 358) contra eosdem Gallos ab eodem Sulpicio, tum dictatore, factum traderent: quorum hos Liuius, illos Frontinus secutus est. Et Frontinum iam Oudendorpius absoluit, cum hoc exemplum non ex Liuio desumptum esse moneret: namque non de magistratu solum Sulpici ambo inter sese dissentiunt sed in eo quoque, quod causam fugae Gallorum alius aliam adfert (Frontinus: *Galli existimantes aduentare auxilia Romanis;* Liuius 7, 15, 5: *ubi .... tendere* (i. e. muliones) *obliquo monte ad castra Gallorum uisi sunt, tum metu, ne excluderentur, omissa pugna est*) atque maiorem Gallis euentum hic tribuit (*cessere iam paene uictores*) quam ille (7, 15, 4: *ipse dictator, postquam labantem una parte uidit aciem, signa in laeuum cornu confert, quo turbam hostium congregari cernebat*).

In exemplo 4, 1, 44 (*Q. Fuluio Appio Claudio consulibus milites ex pugna Cannensi in Siciliam a senatu relegati postulauerunt a consule M. Marcello, ut in proelium ducerentur* ...) nemo editorum monuit, quod simul cum Q. Fuluio Appio Claudio consulibus etiam M. Marcellus appellatus sit consul. Postulauerunt enim id milites illis consulibus (212 a. Chr.), cum relegati essent post ipsam cladem Cannensem (216 a. Chr.: cf. Liu. 23, 25, 7; Plut. Marc. 13). Eo autem anno (212 a. Chr.) M. Marcellus fuit proconsul: atque ita legitur apud Liuium 25, 7 (coll. 26, 1), unde hoc exemplum excerptum est. Librariorum incuria crederes factum esse, ut *consul* nunc legeretur, nisi etiam 4, 1, 43 *consul* appellaretur Curio. Is autem consul fuit 76 a. Chr. bellumque Dardanicum annis insequentibus (75—73) pro consule[1]) gessit, ut testantur Liuius epit. 92: *ab Curione proconsule in Thracia res gestas aduersus Dardanos ... continet* et epit. 95: *C. Curio proconsul Dardanos in Thracia domuit;* Festus breu. 7, 5: *Dardanos et Moesiacos Curio proconsul subegit;* Eutropius 6, 2: *Missus ei successor C. Scribonius Curio post consulatum. is Dardanos uicit.* Qua de causa utroque loco auctorem, non librarios neglegentiae indulsisse tibi persuadebis: qui neglegens usus, quo consul idem ualeat atque proconsul, quamuis rarus apud alios quoque exstat: cf. Liu. 26, 33, 4. 7. 31, 49, 4. 38, 39, 1. Vell. 1, 9. Strab. 17, 3, 25; quibus locis a Theodoro Mommsen[2]) laudatis addi possunt hi: Flor. 2, 6, 43. 14, 5. Anon. de uir. ill. 63, 2. Miro autem casu idem

1) cf. Mommsen R. G. III[7] 41.
2) Roem. Staatsrecht II[3] 241 Anm. 5.

Marcellus et a Pseudofrontino 4, 1, 44 et ab Eutropio 3, 14, 3, ubi eodem anno (212 a. Chr.) res gestae perstringuntur, consul appellatur. — Aliter res se habet in exemplo 4, 5, 16: *P. Crassus, cum bellum aduersus Aristonicum in Asia gerens ... in hostium copias incidisset uiuosque abduceretur, exsecratus in consule Romano captiuitatem ..... transuerberatus dedecus seruitutis ... effugit.* Nam P. Licinius Crassus Mucianus consulatum gerebat 131 a. Chr., quo anno, consul et pontifex maximus, in Asia contra Aristonicum pugnauit. Captum ab hostibus occisumque eum esse post consulatum (130 a. Chr.)[1]) tradunt Velleius (2, 4, 1 *cum initio belli Crassum Mucianum .... decedentem ex Asia proconsulem interemisset*) et Florus (2, 20, 4 *Crassi quoque praetoris cecidit exercitum ipsumque cepit*). Contra anno 131 a. Chr., consulatu igitur nondum exacto, interemptum eum testatur Iustinus (36, 4, 7—8 *Asia Licinio Crasso consuli decernitur, qui ..... cum extremo anni tempore inordinata acie proelium conseruisset, uictus poenas inconsultae auaritiae sanguine dedit*). Hanc igitur memoriam potius quam illam secutus esse Pseudofrontinus uidetur.

In exemplo 4, 1, 38 (*In legionem, quae Regium oppidum iniussu ducis dir⟨ip⟩uerat, animaduersum est*) illud *diripuerat* pro *diruerat*, quod in codicibus est, felicissima coniectura Casauboni emendatum esse omnium qui hanc rem tradunt auctorum consensu confirmatur (cf. Polyb. 1, 7, 6—13. Dionys. 20, 4—5. Liu. epit. 12. 15. Liu. 28, 28. Val. Max. 2, 7, 15. Oros. 4, 3, 3—5. Appian. Samn. 9). Sed quaeritur, utrum *iniussu* cum codicibus *GH* an *iussu* cum codice *P* legendum sit. Atque Decium Vibellium praefectum quia omnes referunt cum militibus conspirasse, *iussu ducis* ad rem unice uidetur conuenire. Praetuli tamen *iniussu* non ob maiorem modo codicum *GH* auctoritatem, sed ideo, quod, si *iussu* legas, mirum disciplinae consilium hoc exemplo comprobetur. Puniri milites solent, si imperio ducis non paruerunt; si quid iussu ducis iniuste fecerunt, poenas dare ducem, non milites aequum est. Accedit quod in exemplis quae sequuntur eadem disciplina militaris cernitur (4, 1, 39 *quod aduersum edictum eius quamuis prospere pugnauerat;* 4, 1, 40 *quod is contra edictum patris cum hoste pugnauerat*). Contra narrationem uero ceterorum auctorum uerba *iniussu ducis* non pugnant, si dux non Decius Vibellius praefectus, sed superior dux, cuius ille imperio in praesidium Reginorum missus erat, intellegitur.

In exemplo 4, 3, 6: *Epaminondas dux Thebanorum tantae abstinentiae fuit, ut in suppellectili eius praeter stoream et unicum ueru nihil inueniretur*, qua significatione *ueru* accipiendum sit, dubitatur: ueru, quo carnes assantur, si intellegitur, mira admodum est tanta laus continentiae; telum autem id interpretari ridiculum est, cum ne gladius quidem Epaminondae scilicet defuerit. Immo nummum signi-

1) cf. Mommsen R. G. II⁷ 54.

ficari, a Graecis ὀβελίσκον appellatum, apertum est comparata narratione Plutarchi, ubi item nummum intellegi Xylander recte perspexit, Fab. 27: Ἐπαμεινώνδαν μὲν οὖν Θηβαῖοι δημοσίᾳ διὰ πενίαν ἦν ἀπέλιπεν ὁ ἀνὴρ ἔθαψαν· οὐδὲν γὰρ οἴκοι τελευτήσαντος εὑρεθῆναι πλὴν ὀβελίσκον σιδηροῦν λέγουσι· Φάβιον δὲ Ῥωμαῖοι δημοσίᾳ μὲν οὐκ ἐκήδευσαν, ἰδίᾳ δ' ἑκάστου τὸ σμικρότατον αὐτῷ τῶν νομισμάτων ἐπενεγκόντος οὐχ ὡς δι' ἔνδειαν προσαρκούντων, ἀλλ' ὡς πατέρα τοῦ δήμου θάπτοντος: unde simul sequitur eam Epaminondae inopiam post mortem conspectam esse, non per totum uitae cursum, ut ex Pseudofrontin. 4, 3, 6 concludere potes. Ferreus autem ὀβελίσκος fortasse appellatur, ut discernatur ab aeneo (cf. Plut. Lys. 17 ὀβελίσκοις χρωμένων σιδηροῖς, ἐνίων δὲ χαλκοῖς) uilitasque magis illustretur, quamquam ferreos nummos in usu fuisse apud Thebanos non accepimus. Fueritne item ferreum ueru apud Pseudofrontinum (*praeteritor eam* codd., *praeter stoream* Graeuius; an *praeter ferreum?*) scriptum, parum liquet. Id quidem satis constare uidetur, ab eo, qui primus hoc exemplum ex libro graeci scriptoris excerpserit, ὀβελίσκον nomen nummi latine per ueru redditum esse idque siue ab ipso siue ab aliis commisso errore in suppellectili putatum.

Iam uenio ad exempla, quibus nomina eorum qui res gesserint a memoria ceterorum scriptorum diuersa traduntur. Praetermittam autem ea, in quibus aperto solitoque mendo librariorum corrupta nomina sunt, uelut 2, 4, 2 et 4, 1, 39 *Rutilius* pro *Rullus;* 2, 7, 11 *Manilius* pro *Manlius;* 2, 6, 4 *Germani* pro *Romani* (ubi a priore exemplo 2, 6, 3 uidelicet nomen Germanorum in mente calamoque resederat). Etiam illa neglegam, quae utrum ab hoc an ab aliis recte tradantur, parum potest diiudicari: uelut legitur *Diodotus* Front. 3, 16, 5 *Diodorus* Liu. 44, 44; *Mandronem* Front. 3, 3, 7 Ἀνδρωνα[1]) Polyaen. 5, 19; *Pharnaeum* Front. 1, 1, 6 Χανναῖον Dion. 49, 19; *Adathas* Front. 2, 5, 30 Ὀλθακὸς Plut. Lucull. 16 Ὀλκάβας Appian. Mithr. 79. In quaestionem uero ea uocabo, in quibus diuersitas nominum exstat grauior atque altius repetenda.

Atque 1, 2, 7 nomen oppidi, apud quod Boii insidias Romanis collocauerant, mutilatum codices tradunt (*uel coloniam* H *coloniam* P). Gronouius coll. Polyb. 2, 27, 2 *Telamona* coniecit, proelium opinatus significari anno 225 a. Chr. contra Gallos Boiosque commissum: quem in errorem adductus uidetur pari consulum nomine, cum contra Boios pugnauerint L. Aemilius Papus consul (225 a. Chr.) bello Gallico uel Insubrico et Q. Aemilius Papus consul (282 a. Chr.) bello Etrusco. Ad hunc propter uerba *bello Etrusco* strategema spectare Cluuerius recte intellexit: minus recte *Cortonam* scribi iussit coll. Polyb. 2, 20, 2, quod hoc oppidum haud longe abesset a lacu Vadimonis, ubi anno 283 a. Chr. Tusci Boiique a Romanis superati essent. Propius ad litteras traditas accedens Oudendorpius *Populoniam* proposuit. Verum

1) cf. Melber, Jahrb. f. class. Phil. Suppl. Bd. XIV (1885) 647.

oppidi nomen in uestigiis latet optimi codicis Harleiani, nunc primum adhibiti. Apud Vetuloniam igitur commissum proelium puto bello Etrusco anno 282 a. Chr. gesto, quod Polybius 2, 20, 4—5 breuissime commemorat (παρετάξαντο πρὸς Ῥωμαίους· ἡττηθέντες δ' ὁλοσχερῶς τῇ μάχῃ). Aemilio consuli cognomen Paulo perperam dari iam Gronouius monuit: quod tamen cognomen peruulgatum pro cognomine Papi minus noto utrum librarius substituerit an Frontinus an auctor quem ille secutus sit, uix existimari potest. Perperam cognomen Pauli etiam L. Aemilio Papo (consuli 225 a. Chr.) inditur Plin. 3, 138: *L. Aemilio Paulo C. Atilio Regulo consulibus nuntiato Gallico tumultu* et Appian. Gall. 1, 2 ἔστησε δὲ κατὰ Κελτῶν καὶ Πάππος [παῦλος codex] Αἰμίλιος τρόπαια.

Eundem Q. Aemilium Papum consulem (282 a. Chr.) intellegendum esse in exemplo 1, 4, 1, ubi Aemilii Pauli consulis strategema contra Tarentinos adhibitum refertur, Pighius eumque secutus Tennulius existimarunt. Sed Orosius 4, 1, 4, Dionysius 19, 6, Zonaras 8, 2 bellum contra Tarentinos gestum tradunt a L. Aemilio Barbula consule (281 a. Chr.) eumque de Tarentinis triumphasse (280 a. Chr.): atque eidem hoc strategema Zonaras tribuit. Miram emendandi rationem Oudendorpius ingressus cognomen Pauli omnino eiecit, quod et Orosius et Zonaras cognomen consulis Aemilii omitterent. Sed neque intellegitur, cur librarii cognomen adiecisse putandi sint, nec Frontinus, ubi consulis uocem addit, solum nomen gentile sine praenomine aut cognomine ponere solet. Pauli igitur cognomen Aemilio 1, 4, 1 perperam inditur, quia nemo Aemilius Paulus fertur contra Tarentinos bellum gessisse. A quo cur commutata sint cognomina, etsi parum constat, hoc tamen effecerim, in exemplo Frontini 1, 4, 1 uestigium cerni memoriae diuersae, qua illud strategema contra Tarentinos non a L. Aemilio Barbula consule, sed a Q. Aemilio Papo consule gestum tradebatur. Nam cognomina Papi et Pauli facillime commutantur, Barbulae et Pauli non item. De primo consulatu Q. Aemilii Papi cum Pighio cogitare eo prohibemur, quod anno 282 a. Chr. bellum contra Tarentinos nondum indictum erat: sed Q. Aemilius Papus consul iterum fuit 278 a. Chr.: quo anno, cum bellum Tarentinum nondum patratum esset, hoc strategema a consule gestum esse facile fieri potuit ut quidam referrent.

Similis error latet in exemplo 1, 12, 3: *T. Sempronius Gracchus consul.* Sempronio enim consuli (268 a. Chr.), qui Picentes domuit, alii (cf. C. I. L. I p. 518) cognomen dant Sopho. Praenominis simul exstat uarietas, cum apud Eutropium 2, 16 et in Cassiodori epit. legatur *P.*, non *T.* Itaque Pighius *P. Sempronius Sophus* legere, Oudendorpius cognomen, quod a Floro (1, 19), Orosio (4, 4, 5—7), Eutropio (2, 16) omittitur, eicere maluit. Sed nec praenomen nec cognomen ego quidem mutare ausim, ueritus, ne auctorem potius uel fontem eius corrigam quam librarios. Nam undique collecta strategemata quoniam Frontinus congessit in usum ducum (cf. praef. I p. 1, 10 sq.), non histo-

ricorum, ne uilium quidem collectaneorum ope spreta, fieri non potest, quin ab eis testimoniis, quae quidem felici casu nobis conseruata sunt, aliquotiens discrepet. Qua ratione collecta sint strategemata si reputas, item non obscurum est, cur in quibusdam exemplis ipse sibi auctor obloquatur. Itaque cum 1, 1, 9 (*igitur inscium duplicatis adgressus copiis superauit*) Hasdrubalem a Claudio Nerone consule deceptum esse dicit, contra mox 1, 2, 9 (*Hasdrubal .... iunctum Liuii et Neronis exercitum .... intellexit*) negat, non memoriam insimulo nec fidem Frontini, sed hoc exemplum contendo ex Liuio (27, 47), illud ex alio fonte paulo diuerso excerptum et non spectata uarietate alterum ad alterum consilium illustrandum corpori insertum esse.

Pariter iudicandum uidetur de exemplo 3, 9, 4: *L. Cornelius Rufinus consul complura Sardiniae cepit oppida.* Intellegendus ibi uidetur consul anni 259 a. Chr. (cf. Polyb. 1, 24. Liu. epit. 17. Flor. 2, 2, 15—17. Eutr. 2, 20. Oros. 4, 7, 11. Zonar. 8, 11), qui in fastis et apud Florum Orosiumque uocatur L. Cornelius Scipio quemque ipse Frontinus 3, 10, 2 L. Scipionem nominat. Nam de P. Cornelio Rufino consule I (290 a. Chr.), consule II (277 a. Chr.; cf. Front. 3, 6, 4) cogitari non potest, quia is solum in Italia bellasse traditur. Nec tamen cognomen Rufini editores eicere debuerunt, cum parum probabile sit librarios hoc cognomen aut addidisse aut pro notissimo cognomine Scipionis substituisse.

1, 9, 1 Frontinus A. Manlio consuli strategema tribuit, quod C. Marcio Rutilo consuli Liuius 7, 38—39. De A. Manlio consule (I 244 a. Chr., II 241 a. Chr.) cogitare re ipsa uetamur. Sed C. Marcius Rutilus, quem consulem IIII (342 a. Chr.) hoc strategema perfecisse Liuius l. l. tradit, cum consul III (344 a. Chr.) esset, collegam habuit T. Manlium Torquatum: inde fieri potuit, ut in historiis scriptoris nescio cuius commutato tertio cum quarto consulatu Marcii, quod Marcius perfecerat, tribueretur Manlio collegae. Certe in Stewechii opinionem abire non possum, ut librariorum culpa credam A. Manlii nomen ex nomine Cn. Marcii corruptum esse.

In exemplo 4, 5, 1 (*Seruilio et Glaucia cohortantibus*) more haud solito alterum appellari solo nomine gentili, alterum solo cognomine in eadem gente usitato iam Oudendorpius monuit. Accedit quod unius Seruilii mentio fit apud Plutarchum Pomp. 14. apophth. Pomp. 6 et Zonaram 10, 2 eandem rem narrantes: unde Woelfflinus[1]) suspicatus est Pseudofrontinum male intellecto fonte duos uiros, Seruilium et Glauciam, finxisse ex uno Seruilio Glaucia. Talis quidem erroris non desunt exempla, sicuti apud Valerium Maximum 9, 1, 8 *Metello et Scipioni cons.* legitur pro uno Metello Scipione consule. Hanc tamen sententiam probare eo prohibeor, quod Seruilius a Plutarcho apophth. Pomp. 6 ἀνὴρ ἀριστοκρατικός et Pomp. 14 (Zonar. 10, 2) ἀνὴρ ἐπιφανής appellatur: quibus ex uerbis colligo Seruilium Vatiam Isau-

1) Hermes IX 84.

ricum significari, quem a parte optimatium stetisse acceperimus uirumque ex gente Seruilia unicum eis quidem temporibus fuisse, qui appellari posset ἀνὴρ ἐπιφανής: nam de alio Seruilio, uiro tum insigni rebusque publicis studente, apud scriptores nihil legimus. Quo id anno acciderit, ex exemplo ipso non discimus; sed ex uerbis Plutarchi et Zonarae apparet triumphum intellegi, quem Pompeius de Africa egit *adhuc eques Romanus, quod nulli contigerat* (cf. Liu. epit. 89). Triumphauit autem Pompeius, ut docuit Theodorus Mommsen[1]), 79 a. Chr., quo anno consules fuerunt P. Seruilius Vatia et Appius Claudius Pulcher. Atque a consulibus Pompeium conicio monitum esse, ut diuideret pecuniam, ne seditio fieret, et pro *Glaucia* scriptum fuisse *Claudio.*

Exempla 3, 10, 3 *Hannibal, cum obsideret ciuitatem Himeram* ... et 3, 10, 4 *Idem ut Saguntinos eliceret* ... contra fidem historiae ad eundem Hannibalem referri manifestum est. Rubenius difficultatem ratus culpa indocti librarii natam ut tolleret, pro *Saguntinos* legi iussit *Segestanos:* sed Segestanos ab Hannibale obsessos esse nemo scriptorum tradit, immo Hamilcar praeerat obsidioni (cf. Polyb. 1, 24. Zonar. 8, 11 in.). Nec Rubenii sententiam Oudendorpius corroborauit, cum Liuium, qui accuratissime obsidionem Saguntinorum descripsisset, eius strategematis nullam mentionem fecisse moneret: potes enim ad hoc consilium uerba illius 21, 7, 8 *ad erumpendum etiam in stationes operaque hostium animus erat* referre. Errore igitur eundem Hannibalem significari illum, qui secundo bello Punico Saguntum obsedit, et eum, qui primo bello Punico Himeram cepit, apertum atque euidens est: quem errorem ipsi auctori cum Perizonio tribuere nemo dubitabit, commissum quidem ab eo non ignorantia, ut credidierim, sed nimia festinatione, cum strategemata alia ex aliis libris in chartas uariis temporibus transcripta ad certa consilia componeret, contextus rerum aut temporum unius cuiusque exempli non iam memor.

Recte auctor non confusis duobus uiris eiusdem nominis, sed diuersae aetatis post 2, 5, 8 (*Fuluius imperator Cimbrico bello*) in exemplo 2, 5, 9 (*Cn. Fuluius, cum .... exercitus Faliscorum*) nomen repetiuit. Contra praeter consuetudinem nomen repetitur 2, 8, 6 *M. Furius.* Nam in altero exemplo eiusdem ducis adiecto uel omisso nomine *Idem* praeponi solet, ut 1, 5, 20 *Spartacus* 1, 5, 21 *Idem* 1, 5, 22 *Idem;* 2, 5, 21 *Hannibal* 2, 5, 22 *Idem Hannibal* 2, 5, 23 *Idem Hannibal* 2, 5, 24 *Idem* 2, 5, 25 *Idem Hannibal.* Qua de causa Oudendorpius etiam 2, 8, 6 loco praenominis *M.* substituere *Idem* malebat. Profecto id exspectatur, cum *M. Furius* 2, 8, 6 (coll. Liu. 6, 24) idem sit qui *M. Furius Camillus* 2, 8, 4 (coll. Liu. 6, 6—8) interiectumque exemplum 2, 8, 5 alienum sit (cf. supra p. 333). Considerata tamen ratione, qua strategemata composita sint, hoc facile ita explicabis,

1) R. G. II[7] 333.

ut auctor duo consilia 2, 8, 4 et 2, 8, 6, cum huic capiti insereret, ab eodem Furio adhibita oblitus esse putetur, neque uero id ex ipsis exemplis potuisse recognoscere, cum condicio exempli 2, 8, 6 parum definite adumbrata esset.

2, 4, 12 Croesus aduersus hostes idem strategema, quod Cyrus contra Croesum adhibuisse apud Herodotum (1, 80) et Polyaenum (7, 6, 6) fertur. Frontinum purgans Gronouius proposuit, ut *Cyrus aduersus Croesum* uel simpliciter *Cyrus* pro *Croesus* legeretur. Ipsum exemplum suspicionem non excitat: neque enim ordinem exemplorum turbat externorum (§ 10 Iugurtha, § 11 Myronides, § 12 Croesus, § 13 Pyrrhus) nec genere dicendi offendit: *hostes* nullo addito nomine saepissime appellantur, uelut 2, 4, 8. 2, 5, 6. 2, 3, 19. Itaque exemplum sine dubio Frontini putandum est ac ne mutilatum quidem aut corruptum. Nam etiam Darei notissimum strategema in Babylonios opera Zopyri perfectum (cf. Herodot. 3, 153 sq. Plut. apophth. Darei 4. Polyaen. 7, 13. Iustin. 1, 10, 15) idem tradit 3, 3, 4 a Cyro adhibitum et mox 3, 7, 4 ab Alexandro Euphrate flumine auerso Babylona captam esse, quod factum reliqui (cf. Herodot. 1, 191. Xenoph. inst. Cyri 7, 5. Polyaen. 7, 6, 5) tribuunt Cyro (cf. etiam 3, 7, 5 et supra p. 334). Haec omnia ipsum auctorem mutasse et corrupisse a ueri specie prorsus abhorret: immo exempla ea iam uariata et in uilibus dictorum et factorum corporibus circumlata ille non repudiauit, non tam fidei historiae studens quam ut experimentis probata consilia essent.

Eodem modo etiam alii errores nominum explicantur. Atque Hermocrates strategema 2, 9, 6 aduersus Carthaginienses superatos adhibuisse traditur. Eum autem quamquam contra Carthaginienses pugnasse Diodorus 13, 63 extr. testis est, tamen non aduersus hos, sed contra Athenienses (413 a. Chr.) hoc consilio usum esse ex uerbis *ueritus, ne captiui, quorum ingentem manum in potestatem redegerat* manifesto apparet.[1]) Eandem ob causam nomen *Catiniensibus* a Tennulio excogitatum pro *Carthaginiensibus* admitti non posse per se patet (cf. Front. 3, 6, 6). Contra Catinienses intellegendi sunt 3, 2, 6, ubi perperam Agrigentini dolo Alcibiadis decepti feruntur.[2]) Sed haec apud Frontinum non magis corrigenda sunt quam in exemplo 3, 6, 7 (*Cleonymus Atheniensis*) illud *Atheniensis*, etiamsi satis constat Cleonymum regem fuisse Lacedaemoniorum[3]); in exemplo 1, 4, 9[a] nomen Indi fluminis, cum intellegendus sit Hydaspes priore exemplo 1, 4, 9 memoratus (cf. supra p. 330); in exemplo 3, 9, 6 nomen oppidi, quod Cyzicus errore uocatur pro Byzantio (cf. Front. 3, 11, 3): nam Cyzicus neque ab Alcibiade umquam oppugnata est neque muris munita erat (Thucyd. 8, 107 ἀφικόμενοι δὲ καὶ ἐπὶ τὴν Κύζικον ἀτείχιστον οὖσαν: cf. Diodor. 13, 40, 6).

1) cf. Holm, Gesch. Siciliens II (1874) 62 sq. 414.
2) cf. Holm l. l. 22. 409.
3) cf. Polyaen. 2, 29, 1. Droysen, Gesch. d. Hellenism. III 1², 200. 201.

In exemplo 2, 5, 7 (*Viriathus ex latrone dux Celtiberorum*) pro nomine *Celtiberorum*, in quo Tennulius primus offendit, Dederichius *Lusitanorum* praepropere correxit. Lusitanus quamquam Viriathus et erat et a scriptoribus ipsoque Frontino (2, 13, 4 *Viriathus dux Lusitanorum*) appellatur, tamen dux etiam Celtiberorum, celeberrimae ac ualidissimae gentis Hispaniarum (cf. Flor. 2, 17, 9 *Celtiberos, id est robur Hispaniae*), quasi omnium dux Hispanorum uocari potuit, eodem saltem iure quo magna eius in omni Hispania auctoritas laudatur a Floro 2, 17, 15 *si fortuna cessisset, Hispaniae Romulus,* Eutropio 4, 16 *ut adsertor contra Romanos Hispaniae putaretur,* Iustino 44, 2, 7 *nullus illis* (sc. Hispanis) *dux magnus praeter Viriathum fuit.* Oudendorpius uocem *Celtiberorum* in margine adscriptam receptamque in exemplum esse postea argutius coniecit quam rectius: *dux* enim nullo nomine gentis addito tolerari non potest. In margine autem scriptam fuisse illam uocem opinatus est a librario, qui animaduertisset in exemplo subsequente (2, 5, 8 *Fuluius imperator Cimbrico bello*) bellum Celtibericum, non Cimbricum intellegendum esse. Errorem qui latet planissime is detexit: nam Fuluium imperatorem contra Cimbros pugnasse nemo scriptorum tradit, sed idem fere strategema a Q. Fuluio Flacco praetore contra Celtiberos adhibitum Liuius (40, 30—32) narrat, ita tamen uariatum, ut ex eo Frontinum sua non excerpsisse apertum sit. Bello igitur Celtiberico, non Cimbrico Fuluium id perfecisse certum uidetur: sed Frontini uerba ipsius uereor ne corrigas, si nomina uelis mutare.

Strategema 1, 5, 6 (*C. Duellius consul in portu Syracusano, quem temere intrauerat, obiecta ad ingressum catena clausus*) in portu Syracusano factum esse reliquorum scriptorum testimonia uix probant, ut rectissime Oudendorpius cognouit. Nam, cum rex Hiero amicitiam anno 263 a. Chr. cum Romanis pactam, quamdiu uixit, seruaret[1]), Syracusani 260 a. Chr., quo anno Duellius consul fuit, a parte stabant Romanorum neque consulem ut hostem claudebant. Attulit Oudendorpius locos Ciceronis Verr. 5, 37, 97—98. 52, 138, quibus probaret nullum hostem Syracusanorum portum intrasse. Itaque coll. Polyb. 1, 24, 2 τότε μὲν οὖν προσσχόντες (sc. Romani) τῇ Σικελίᾳ τήν τε Ἐγεσταίων ἔλυσαν πολιορκίαν, ἐσχάτως αὐτῶν ἤδη διακειμένων et Zonar. 8, 11 Δουίλιος δὲ τὸ πεζὸν προσλαβὼν τούς τε Ἐγεσταίους ἐρρύσατο pro *Syracusano* proposuit *Segestano.* Quod quamquam ad rem ab illis Frontinoque traditam satis bene uidetur quadrare, tamen non recipiendum est, quia a Frontino aliquot nomina a reliqua memoria longe diuersa tradi constat (cf. supra p. 335). Ac nescio an ex uerbis Zonarae l. l. καὶ (sc. Δουίλιος) τὰ φίλια τὰ ἄλλα ἐβεβαιώσατο coniectare liceat, etiam Syracusas Duellium nauigasse, ut oppidanorum fidem confirmaret, eorumque in portu a Carthaginiensibus exitum custodientibus obiecta catena clausum

1) cf. Mommsen R. G. I[7] 513 sq.

esse: cui interpretandi uiae ne Ciceronis quidem loci supra laudati obstant. Certe summa opus est cautione, ne testimonia Frontini quae de quibusdam rebus unica nobis relicta supersint in suspicionem iniuria uocentur: nam ut aliunde notum non est consilium 3, 2, 2 ad expugnandam urbem maritimam institutum ab eodem Duellio consule, quae quidem urbs fortasse Macella fuit coll. Polyb. 1, 24, 2 Μάκελλαν πόλιν κατὰ κράτος εἷλον, ita etiam exemplum 1, 5, 6 nullo infuscatum errore et uberioris memoriae quasi uestigium ad nos peruenisse potest. Neque ex eo quidquam effecerim contra ueritatem huius exempli, quod idem strategema a Romanis in portu Hipponis 251 a. Chr. factum esse Zonaras 8, 16 refert.

In exemplo 2, 8, 2: *Furius Agrippa consul cedente cornu signum militare ereptum signifero in hostes Hernicos et Aequos misit* Dederichius, cum coll. Liu. 3, 70, 2—11 praepropere *Volscos* pro *Hernicos* corrigeret, contra ipsam narrationem Liuianam id pugnare non intellexit: Furius enim consul sinistrum cornu tenebat contra Aequos pugnans, sed contra Volscos dextrum cornu duxit Quinctius collega. Exemplum ex uberiore fonte fluxit, quo Hernici et Aequi eodem cornu dextro, sinistro Volsci collocati tradebantur.

Item fonti a Liuio diuerso debetur exemplum 2, 8, 3: *T. Quintius Capitolinus consul signum in hostes Faliscos eiecit militesque id repetere iussit.* A T. Quintio Capitolino consule contra Faliscos bellum gestum esse cum nemo scriptorum tradat, Oudendorpius T. Quintium Cincinnatum, quem idem strategema contra Volscos adhibuisse Liuius 4, 26. 29 testis est, significari coniecit. Eodem tendit Perizonius, cum cognomen Capitolini deleret. Nullo autem iure Dederichius *Volscos* pro *Faliscos* posuit, quod T. Quintius Capitolinus consul II contra Volscos bellum gesserit (cf. Dionys. 9, 57—59. Liu. 2, 64—65. Front. 2, 7, 10. 2, 12, 1. 3, 1, 1).

In exemplo 3, 2, 11: *Timarchus Aetolus, occiso Charmade Ptolomaei regis praefecto, clamide interempti et galeari ad Macedonicum ornatus est habitum: per hunc errorem pro Charmade in Saniorum portum receptus occupauit* optimi codices praebent *samniorum:* quod, nisi librarii de Samnio uel Samnitibus inepte cogitauerunt, duplicem lectionem *Saniorum* et *Samiorum* complectitur. Atque *Saniorum* exhibuit editio Parisina (a. 1532) probaueruntque Keuchenius et Tennulius; lectionem autem *Samiorum* codicibus quibusdam recentioribus traditam Oudendorpius recepit coll. Polyaen. 5, 25: Τίμαρχος Αἰτωλὸς ἀποβὰς τῆς Ἀσίας ἐς χωρίον πολυάνθρωπον. His tamen uerbis Samum significari non certum est: si uero Samus intellegitur, strategema Frontini ut acciderit eodem loco quo Polyaeni, etiamsi idem Timarchus auctor utriusque fuit, nullo modo sequitur. Sed difficultas etiam grauior exsistet, ubi diligentius uerba exempli 3, 2, 11 examinaueris. Nam cum Charmades praefectus appelletur Ptolomaei regis, eundem esse coniceres qui Χρεμωνίδης Πτολεμαίου ναύαρχος a Polyaeno 5, 18 uocatur. Et cogitauit quidem de eo

Droysen.[1]) Chremonides autem (246—239 a. Chr.) praefectus fuit Ptolomaei Euergetae, regis Aegyptiorum. Quod si idem esset cum Charmade, non intellegeres, cur Frontinus dixisset clamide et galeari Aegyptium praefectum ornatum fuisse ad Macedonicum habitum, cum contra ipsos Macedones eo tempore (246—239 a. Chr.) Aegyptii bellum gererent. Immo quia Macedonico ornatu instructus Timarchus per errorem ut Charmades in portum receptus est, oppidanos a parte Macedonum stetisse aut Macedones fuisse et Charmadem Macedonicum fuisse praefectum patet: ergo non Ptolomaeus Euergetes rex Aegypti, sed Ptolomaeus Ceraunus rex Thraciae intellegitur atque strategema Timarchi perfectum est anno 280 a. Chr., cum Ptolomaeus Ceraunus interfecto Seleuco regnum usurpasset defenderetque contra Antigonum, qui cum Aetolis quos in auxilio habebat in Macedoniam inruebat.[2]) Ita omnia plana sunt neque ulla dubitatio est, quin Sanen, oppidum Macedonicum, ut Ptolomaeo ereptum traderet Antigono, Timarchus Aetolus occupauerit et rectissime editor ille Parisinus, Budaeus puto, *Saniorum* correxerit. Errauit igitur Droysen[3]), cum hoc strategema inter annos 246 et 239 a. Chr. contra Samios adhibitum esse opinaretur. Idem[4]) num recte iudicauerit Timarchum Aetolum apud Frontinum 3, 2, 11 et Polyaenum 5, 25 eundem esse, difficile est dictu, quia Polyaenus parum accurate definitam rem narrat: nihil quidem obstat, quominus eundem et in Macedonia et in Asia contra Ptolomaeum Ceraunum eodem anno 280 a. Chr. pugnasse credamus.

His igitur quae disserui satis demonstrasse mihi uideor, eorum quae aliter apud Frontinum atque apud ceteros scriptores leguntur partem admodum exiguam a librariis commutatam et corruptam esse; numerum uix maiorem indiligentiae deberi atque errori auctoris; partem longe maximam a fontibus originem ducere diuersis neque iam exstantibus. Exempla autem haud pauca cum Frontinus ex uilibus corporibus dictorum et factorum colligeret, fieri non potuit, quin id genus strategematon cum fide historiae saepius dissentiret erroribusque uariis abundaret.

---

1) Gesch. d. Hellenism III 1^2, 407 Anm. 1–2.
2) cf. Droysen, Gesch. d. Hellenism. II 2^2, 330. 332. III 1^2, 186.
3) l. l. III 1^2, 399 Anm. 1. 404 Anm. 3.
4) l. l. 399 Anm. 1. 404 Anm. 3.

SEP 30 '67 H
CATALOGED
16 5 3 0 2 4

Lf 18.75
Quaestiones de luli Frontini strate
Widener Library
001935823
3 2044 085 199 883